
BIBLIOTECA NAZIONALE
6
39 MA
22
VITTORIO EMANUELE

REFECTIO SPIRITVALIS SACERDOTVM

Hoc est Præparatio ac Missæ Gratiarum actio, siue Psalmorum ante, & post Sacrum persoluendorum litteralis, mystica ac moralis expositio


Cum alijs monitis omnibus Christi fidelibus precipuè Sacerdotibus necessarijs

Auctore Fr. Desiderio Bellegrando ab Oriano Brixiensi Concionatore Capuccino olim Missionario.



BRIXIÆ, M.DCLXVII.

Apud Ricciardos, Impress. Episcopales.



EGo Fr. Gaudentius Brixiensis Capuccinus Sacræ Theologiæ Lector perlegi mandante Adm. Reu.P.Vicario Generali, atque Procuratore nostræ Congregationis opusculum Reu. P. Desiderij Orianensis, Concionatoris atque Guardiani nostri; cui inscriptio Spiritualis Refectio Sacerdotalis; in eo vero omnia pietatem religionem, moralemq; eruditionem redolentia inueni, dignumque vt ad Sacerdotum maxime alpestrium eruditionem excudatur.

Virolæ in nostro Cœnobio S.Francisci die 25. Februarij 1666.

F. Gaudentius vtsupra.

IVssu Reu. P. Elisei ab Oriano Ministri Prouincialis huius nostræ Prouinciæ Capuccinorum Brixiensis ab Adm. Reu. P. Fortunato à Cadoro totius nostræ Congregationis Procuratore, ac Vicario Generali specialiter Delegati, Ego subscriptus, attentè legi opusculum, cui titulus, spiritualis Refectio Sacerdotalis &c. à P. F.Desiderio ab Oriano eiusdem nostræ Congregationis, & Prouinciæ Concionatore editum, nihilque in eo sacrosãctæ orthodoxæ fidei bonorumue morũ regulas lædens offendi: quin imò illud Catholicæ Religionis zelo Christianeque Pietatis excitamentis respersum, cum mei ipsius ædificatione inueni: propterea q:approbo, ac dignum censeo, quod typis detur. In quorum fidem has literas mea manu dedi in Loco nostro Manerbij die 26. Februarij 1666.

Ego F.Cyrillus à Bergomo Capuc.S.The.Prof.

In Nomine Iesu.


CVM opuſculum, cui Titulus: Spiritualis Sacerdotum Refectio&c. quod P. Deſiderius ab Oriano noſtri Ordinis Concionator compoſuit, Duo Patres nostri Theologi, ad id à me de mandato, Adm. Reu. Patris Fortunati à Cadubrio Congregationis noſtræ Vic. Generalis, atq; in Romana Curia Procuratoris Generalis, deputati dignum cenſeant lucis vſura: Ego F. Eliſeus ab Oriano Miniſter Prouincialis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum in Prouincia Brixienſi, facta mihi poteſtate ab Adm. Reu. P. Vicario Generali prædicto eius imprimendi facultatem concedo. In cuius rei fidem Auctori ipſi hoc Chirographum mea manu adque officij Sigillo munitum dedi in Conuentu noſtro Tirani in Valle Tellina, Nonis Septembris anno 1666.


F. Eliſeus Prouincialis.
Locus ✠ Sigilli.

Franceſco Grimani Podeſtà.

Vidit Fr. Io. Baptiſta Vailatus Sac. Theol. Mag. Ord. Prædic. pro Reuerendiſs. P. Inquſ. Brixiæ.

Imprimatur.
Fr. Io: Baptiſta Inquiſitor. Brixiæ &c.








Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino

D. MARINO IOANNI GEORGIO

Brixiæ Episcopo optimè merito Duci, March. Comiti &c.



PIetas illa Sanctissima, ac feruentissimus zelus, quo creditas Tibi oues iuxta Trinam Christi Domini ad Petrum commendationem (Bernardo Interprete) verbo pascis, exemplo, ac Sacramentis, ad ęterna pascua tendens (Illustrissime, ac Reuerendiss. Antistes) sicuti gratiam tibimet parant, & gloriam apud Deum, & homines; ita mihi facilè suasere benigna non nisi fronte exceptum à Teipso iri meum istud opusculum, quod vtique publicè vtilitatis Zelo à me iam dudum Missionario Apostolico in Episcopatu Curiensi inceptum; modo verò in hoc Tuo Brixiensi absolutum prodire sino in lucem; si ipsum Tui, vel maximè Nominis inscriptione signatum, Tuæ Clementiæ offerrem. Quid enim vero Gregē magis instruit, ac erudit, quàm præcedentium exemplo disciplina Pastorum? Vnde autem isti maiorem haurire habent morum

rum

rum disciplinam, virtutumque exempla, quam è perenni fonte illius ineffabilis Sacramenti in quo Christus sumitur, cuius ipsi mysteria tum ad sui, tùm ad Gregis profectum per agentes, & sumunt sibi, & Gregi distribuunt? Quomodo porrò hauriant nisi parati ad hauriendum accedant? Tantò igitur profectus Zelo permotus Missalis Romani Præparationem ante Missam, cum gratiarum actione post ipsam morali expositione Psalmorum succinta methodo prosecutus sum? Quod id circò opusculum spiritualem Sacerdotum Refectionem placuit nuncupare. Hanc antè omnium celebrantium oculos modò pono; in primis vero ante Tuos Illustrissime, ac Reuerendissime Antistes fidentissime statuo; spero etenim fore, vt exceptum benigna fronte opusculum consimili fauore prosequaris apud omnes qui in Tua Diæcesi Ecclesiasticæ militiæ nomen dederunt, aut daturi sunt.

Cæterum D. O. M. quem votis omnibus rogo, diù Ecclesiam hanc tuo ductu gubernari, virtutumque Tuarum splendore illustrari concedat. Datum in Conuentu nostro loci Tirani in Valletellina die 23. Decembris 1666.

Illustriss. ac Reuerendiss. Dominationis Tuę

Humillimus in Domino Seruus
F. D. ab O. B. C. C. O. M.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Nter alia præſtantiſſima Sacramenta è Cælo nobis delata (candide Lector)Euchariſtiæ Sacramentum,ac conſequenter Miſſæ ſacrifitium non immeritò primũ obtinet locum.In hoc enim nobiliſſimo conuiuio benigniſſimus Dei filiùs ſemetipſum nobis reliquit, & vſque ad finẽ Mundi manebit : *Et ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſæculi.* Et Sancta Mater Eccleſia in laudẽ ſacratiſſimi huius conuiuij cantat. O Sacrũ conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur recolitur memoriá paſſionis eius, mens impletur gratia,& futuræ gloriæ nobis pignus datur. Sacrum vocatur præ ſacrificijs Abel, Noè, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſen, Samuel &c.quorum quædam naturæ; alia verò legalia ſacrificia vocabantur.

Sacrum nuncupatur eo quod à profanis diſtinguitur. Profanum fuit Regis Aſſueri conuiuium ab ipſo præparatum, vt oſtenderet diuitias gloriȩ regni ſui, ac magnitudinem,atque iactantiam potentiæ ſuæ: in hoc ſalutifero conuiuio non oſtenduntur diuitiæ fugaces, ſed æternæ: *Gloria, & diuitiæ in domo eius.* Profanum fuit Reginæ Eſther conuiuium; in quo ſuperbus Aman vitam amiſit: in hoc cæleſti conuiuio temporalis vita non amittitur, ſed ſpiritualiter nutritur,ac ȩter-



na

templum Dei in latronum ſpeluncã cõcurrendo. Et hoc prouenit tum ex humana fragilitate aut malitia; tum ex diabolica ſugeſtione; vel tentatione; tum etiam quia dignitatem, virtutem efficaciam, ac gratiam Sanctiſſimi Sacramenti, ac miſſæ ſacrificij pænitus ignorant. Et quia Paſtorum animarum, Miſſionariorum, Concionatorum, confeſſariorum proprium officium eſt, oues ſibi commiſſas ſpiritualiter paſcere; fidei myſteria ignorantes inſtruere; peccatores ad pænitentiam reducere; errores omnes pro viribus è medio tollere, ac Dei eccleſiam illuſtrare? Quod vt feruentius, faciliùs, libentiuſque faciant; ſtatui in hoc meo paruo opere deſcribere, breuique ſermone declarare: quomodo ipſimet animarum paſtores debent ſe in medio populi gerere, Deumque laudare: iuxta illud: in medio populi laudabo te, Rubricas miſſalis obſeruare; confeſſiones audire; orationi, contemplationique vacare; & ad ſacra facienda diligenter ſe præparare. Quæ omnia Deo adiuuante, traxi ex breui quadam expoſitione facta ſuper pſalmos, in miſſali digeſtos; qui ante, & poſt ſacrum ab Epiſcopis, ac deuotis Sacerdotibus recitari ſolent; in quorum verſiculis profundiſſima ſunt myſteria, ad vtilitatem, ac Sacerdotum ſalutem ſpectantia; vt à legentibus comprobabitur; in ijs enim perfecta viuendi forma reperitur. Et licet finis meus non ſit Epiſcopos, aut perfectos Sacerdotes docere (quia non eſt lex dari iuſto, lex iuſto non eſt poſita: & ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege) quin

quin imo illis me discipulum subijcio: sed tantum iuuenes, ac pauperiores Sacerdotes: quorũ primũ facillimè poterunt perfectum celebrandi modum adiscere; & vsque ad occasum vitæ perseuerare: alij vero, cum per sæpè ob paupertatem auctores sibi necessarios facultatem ęmendi non habeant, hoc in paruo opere, in missæ, inquam, prępáratione, ac gratiarum actione, omnium virtutum seriem inuenient. Cupio nihilominus, ac omnes Christi ministros, Iuuenes cum senioribus, incipientes, proficientes, ac perfectos in visceribus Iesu Christi deprecor, vt hoc opus æmant, ac omni diligentia, ac attentione perlegant: erroribus parcant; virtutes ac salutis monita ibi delineatas hauriant, & acquirant: in hoc enim opere poterunt iuuenes addiscere; incipientes proficere: proficientes perfectioni incumbere: ac perfecti ad intensiores perfectionis gradus protendere. Nam cum sit Deus infinitus, in via non possunt homines perfectissimè illum infinitè, vel, vt decet, diligere; sicut nec cognoscere, donec ad patriam perueniant: Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Non propterea debemus in Dei seruitio deficere, retrocedere, aut frigescere; sed quantum humana patitur fragilitas, perfectioni incumbere, ac in virtutibus exardescere, quod facile Dei Ministri facient, si Dei Sacra, omni, qua possunt, diligentia peragent: multum enim in Dei seruitio proficit, qui ad Sacra Dei facienda diligenter se disponit: At nullus vmquam poterit se disponere, nisi velit deuotam

prę-

præparationem præmittere: & præsertim psalmos in Missali Romano descriptos, & à Summis Pontificibus ordinatos perlegere: ac Mysteria in ipsis recondita à nobis pro viribus, vel ab alijs ordinis maioris intelligentiæ descripta intelligere.

Sunt multi namque Sacerdotes (pace ipsorũ) qui ad sacra facienda accedunt, & vix aliquam præparationem præmittunt: ac prædictos psalmos raro aut numquam perlegunt. Multi etiam alij inueniuntur, qui longam faciunt præparationem: psalmorum autem prædictorum nullam prorsus faciunt mentionem: putant enim maiorē trahere deuotionem, aut facere præparationem in perlegendis quibusdam libellis, quos secum ferunt: aut ex certis deuotiunculis sibi prescriptis, quàm ex sacris psalmis in missali Romano dispositis. Imò (si mihi dicere liceat) existimo talē præparationem, potius esse tentationem, aut deceptionem, quam perfectam præparationem: laudo quidem quod alias præmittant deuotiones: non laudo tamen, quod ob easdem deuotiones missalis negligant præparationem, deuotiones, siue orationes. Et piè arbitror quod maiores Prȩlati Deo obsequium præstarent, si in suis Capitulis generalibus, prouincialibus, aut synodalibus præciperent, vt omnes illorum subditi ante Sacrum Missalis facerent præparationem; & nullo modo sub maioris deuotionis specie, aut colore illam negligere, qua præmissa, suis alijs deuotionibus, aut orationibus satisfacere poterunt; Et

 iuxta

iuxta Seraphicum Doctorem: optima est præparatio Iesu Christi passionis pia Meditatio; hęc enim Diuini amoris igniculum accendit; *Et in meditatione mea exardescit ignis. Psal. 38.* Et non poterunt sacerdotes in Christi amorem exardescere; nisi etiam diligenter perlegant ea, quæ nos in Dei amorem accendunt; vti est Missalis præparatio, ac illius pia expositio, quæ nempè est continua versiculorum meditatio; quia licet homo multa scit, & per modum vnius, & non plurium vnum intelligit hoc namque vnum potest se ad plura non diuersæ; sed eiusdem rationis extendere V.G. si quis sacras recitaret litanias; hoc interim quod dicit: S. Francisce: ora pro nobis: S. Carole: ora pro nobis, potest inquam in hoc paruulo temporis spatio (si vitas prædictorum Sanctorum perlegerit; ac memoriæ manducauerit) multa, quæ in gestibus ipsorum leguntur, percurrere, ac intelligere. Sic etiam, quando pius ac deuotus Sacerdos vult sacrum facere; & omni qua potest diligentia sacra peragere, Missalis præparationem pręmittere: dum V.G. incipit psalmū: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini:* In hoc, inquam, breuissimo tempore; si est in se collectus potest pia, ac deuota mente reuoluere omnia, quæ in nostra expositione super eundem versiculum dicta sunt: V. G. de tabernaculis à Diuo Petro in Monte Tabor desideratis: item de tabernaculo Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, ac etiam de atrijs Domini: nempè de atrijs, Annæ,

Cai-

Gaiphe, Herodis, Pilati, ac consequenter per modum transeuntis Iesu Christi Passionẽ memorari. Item, vt in alio psalmo habetur, in versiculo: [non est similis tui in dijs Domine; & non est secundum opera tua] potest simili modo compræhendere ea, quæ in eodem versiculo à nobis exarata sunt, & sic discurre dẽ omnibus alijs versiculis, tàm ante, quàm post sacrum persoluendis quod facillimo modo poterit quilibet sacerdos facere, si præsentem psalmorum explicationem aliquoties perlegerit. Licet enim non possit vna die hoc opus discurrere: poterit tamen integrũ psalmum, aut illius partem, uel saltem explicationem unius uersiculi, deuotionis gratia legere: & sic absque labore, imo cum animi delectatione, deuotione, spiritualiq; consolatione omnia comprehendere: ac in mente retinere, suisque temporibus meditari; ac sic animæ suæ vberrimum fructum afferre. Nam ea, quæ in prima parte dicta sunt, aut explicata, ad orationem faciendam, & ad perfectionem acquirendam lectoris pium animum accendunt. Ea verò, quæ post Sacrum, siue in secunda parte leguntur; ad Dei magnalia: siue opera Dei contemplanda pium celebrantes, vel cuiusuis legentes animum extollunt. Ibi enim agitur de Dei operibus: ac primò de Angelis: de hominibus: de igne: aqua: terra: Sole: Luna: Stellis: de niue, & frigore; fontibus, & montibus; de bestijs terræ, & Ceteris in psalmo (Benedicite) prænotatis: vnà cum instrumentis musicalibus: vt habetur in psalmo [Laudate Dominum in sanctis eius] cum suis moralitatibus, ac

salutes

ſalutis monitis, in ſuis locis, ſiue verſiculis omnibus declaratis. Ita vt quilibet pius Sacerdos, vel deuotus Chriſtanus, qui hæc perlegerit, & attentè meditatus fuerit, poterit in omni loco mentem ad ſuum factorem extollere; ac ipſum in omnibus ſuis creaturis benedicere, ac laudare, idcircò Sancta Mater Eccleſia, ſacros hos pſalmos ante oculos perlegendos nobis propoſuit; Spiritus enim Sanctus, qui Eccleſiam ſuam ſponſam inuiſibiliter regit, has ſacras concionculas pro animarum noſtrarum ſpirituali refectione, per prophetarum ora nobis benigniſſimè dictauit, ac deuotè legendos propoſuit.

Et certe Sacerdos, qui Diuino cultui eſt dicatus inexcuſabilis cenſebitur, ſi in huiuſmodi Sacris Miniſterijs miniſtrandis negligenter ſe geſſerit; ac in Dei ſeruitio, ſine profectu, non profecerit, ſi inquam omnia diligenter tàm rubricas, quàm alia omnia in Miſſali præſcripta non obſeruauerit. Et contra illum poterimus proferre illa Ieſu Chriſti comminatoria uerba, contra obſtinatiſſimos, ac perditiſſimos Iudeos prolata; quando nempè dixit: Ioan. 15. Si non ueniſſem, & locutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo; Sic etiam poſſumus dicere de Sacerdotibus continuè celebrantibus, & rubricas aliaſque miſſalis ordinationes, aut inſtructiones ignorantibus, uel tranſgredientibus, V. G. Si nos Sacerdotes non haberemus formulam præſcriptam à Summis Pontificibus manus extendendi,
ium-

iungendi, eleuandi, tàm in recitandis orationibus, quam in dicendo. Gloria in excelsis à Euangeliū, Credo; Dominus vobiscum, orate fratres &c. si inquam transgrederemur, aut iuxta placitum nostrum feceremus, peccatum non haberemus; nunc verò cum omnia sint præscripta, ac præcepta, qui illa ignorat, transgreditur, & multò magis si despicit, nullam excusationem habet de peccato suo. Item si non haberemus præceptum demittendi oculos, quando ad altare accedimus, aut retrò ad populum vertimur, ad Dominus uobiscum, orate fratres, si quis, inquam, decenter, aut honestè per templum aspiceret peccatum non haberet; nunc autem quauis intentione prospiciat, nullam de peccato suo excusationem habet; Item si non haberemus præclaram ordinationem faciendi genuflexiones, ac distinctionem corporis submissionum, inclinationum, siue reuerentiarum; nunc solùm capite; nunc uerò parum inclinatus; inclinatus; ac tandem profundè inclinatus: qui inquam talia confunderet (ut maior Sacerdotum pars facit) aut negligeret, peccatum non haberet; sed cum ante oculos hæc omnia habeat, qui ea transgreditur nullam de peccato suo excusationem habet. Sic dicendum est de omnibus alijs rebus tàm in missali, quàm in breuiario Romano præscriptis.

Et certè impossibile fore existimo, ut quis rubricas perfectò seruet modo; si saltem semel in anno Missalis rubricas non recurrat; & qui tenui sunt memoria non eis sufficit, si tantùm semel

per-

perlegant in anno. Quia oblectionis iniuriam, aut negligentiam, per sæpè euenit, quòd rubricæ obliuiscantur; aut Sacerdos dubitet, ne hoc, vel alio modo, tales, aut tales actio fieri debeat; tunc si statim rubricas non aspiciat, in errorem facile impingat, ac sic vsque ad mortem perseueret.

Et hæc est vnica causa, quod licèt omnes Sacerdotes (Ambrosianis, ac quibusdam regularibus exceptis) easdem habeant regulas, aut rubricas obseruandas; nihilominus multoties videmus in eodem altari, in eodem templo diuersimodè ceremonias facere: vnus enim juxta rubricam demissis oculis dicit [Dominus vobiscum, orate fratres, benedicat &c.] alter verò non absque astãtium admiratione apertis oculis totum perlustrat templum; sic dicendum est de manuum gestibus: unus enim perfectum obseruat modum in rubricis ostensum; alter uerò manus, uel brachia, demittit, extollit, extendit, pro ut ipsi placet; absque ordinatione, disciplina, aut compositione: similiter alij in fine sacrificij calicem iuxta rubricam cooperiunt; quidam uerò denudatum relinquunt, sic est de modo formandi cruces; alij transuersam; siue obliquam trahunt manum alij totaliter erectam: Quænam verò forma seruanda sit, aut qualis opinio magis probanda suo loco videbitur; nam præter psalmorum Missalis expositionem; Deo fauente, breuem etiam quandam sacrarum rubricarum declarationem ob celebrantium consolationem, ac animi satisfactionẽ adnotabimus. Ita ut Sacerdos, qui apud se hoc

opus

opus habuerit si aliquando sacrarij clauso ostio missalis copiam habere non potuerit, aut omnes rubricas legere noluerit, difficultates occurrentes hic inueniet; ac maiore opportunitate rubricas generales perleget: & sic diligenter (prout humana patitur fragilitas) quæ ad Dei cultum spectant, faciendo: maledictionem in sacris literis negligentibus comminatam euadet, sicut scriptum est: maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, & è contra beati uocantur, qui legem Dei, & ecclesiastica mandata seruant, & immaculatos seipsos ab hoc sæculo custodiunt: ut habetur in psalmo: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini, Beati qui scrutantur testimonia eius &c.

Tandem ne mireris, pie Lector, si aliquoties in hoc opere sententiarum, vel scripturarum loca magis frequentata omisi, hoc enim feci, tum penuriæ temporis causa, cũ quia hæc quoque apud alios grauissimos auctores perspexi, præcipuè apud S. Franciscum de Sales, ac Petrum Berchorium, à quo in psalmum (Benedicite) diuersas explicationes, cum suis moralitatibus accepi; tùm etiã, quia, cum hęc scripta, si Deo auxiliante typis mãdata fuerint, vt plurimùm ad manus prudentium Sacerdotum scripturarum sacrarum cognitionẽ habentium peruenire debeant, idcircò non adnotata loca Lectores prudentes iudicio humiliter committo, neque tàm uiuum, quàm mortuum, tàm in sacrificis, quàm in ipsorum orationibus priuatis obnixè commendo, & si aliquid boni in

hoc

hoc opere inueneris , Deum omnis boni auctorem laudaueris : errores inuolontarios tamen mihi soli, siuè insipientiæ meæ attribueris:Et noli aspiscere rudem latinitatem, sed animæ tuæ vtilitatem.



PRÆPARATIO ANTE MISSAM

Antiphona.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum &c.

PSALMVS 83.

1 QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

2 Cor meum, & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

3 Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos.

4 Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

5 Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula, ſæculorum laudabunt te.

6 Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

7 Etenim benedictionem dabit Legislator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon.

8 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; auribus percipe Deus Iacob.
9 Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.
10 Quia melior est dies vna in atrijs tuis; super milia.
11 Elegi abiectus esse in domo Dei mei; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
12 Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus; gratiam,& gloriam dabit Dominus.
13 Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.
Gloria Patri,& Filio, &c.

PSALMVS 84.

14 BEnedixisti Domine terram tuam; auertisti captiuitatem Iacob.
15 Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.
16 Mitigasti omnem iram tuam; auertisti ab ira indignationis tuæ.
17 Conuerte nos Deus salutaris noster; & auerte iram tuam à nobis.
18 Numquid in eternum irasceris nobis; aut extendes iram tuam à generatione in generationem.

Deus

19 Deus tu conuersus viuificabis nos ; & plebs tua lętabitur in te.
20 Ostende nobis Domine misericordiam tuam,& salutare tuum da nobis.
21 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.
22 Et super sanctos suos ; & in eos,qui conuertuntur ad cor.
23 Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius : vt inhabitet gloria in terra nostra.
24 Misericordia,& veritas obuiauerunt sibi; iustitia , & pax osculatę sunt.
25 Veritas de terra orta orta est ; & iustitia de cælo prospexit.
26 Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra nostra dabit fructum suum.
27 Iustitia ante eum ambulabit ; & ponet in via gressus suos.
Gloria Patri,& Filio,& Spiritui sancto &c.

PSALMVS 85.

28 INclina Domine aurem tuam,& exaudi mę ; quoniam inops,& pauper sũ ęgo.
29 Custodi animam meam , quoniam Sanctus sum ; saluum fac seruum tuum , Deus

meus ſperantem in te.
30 Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die; lætifica animam ſerui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.
31 Quoniam tu Domine ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.
32 Auribus percipe orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.
33 In die tribulationis meę clamaui ad te; quia exaudiſti me.
34 Non eſt ſimilis tui in dijs Domine; & nõ eſt ſecundum opera tua.
35 Omnes gentes quaſcumq; venient, & adorabunt coram te Domine; & glorificabunt nomen tuum.
36 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.
37 Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.
38 Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo; & glorificabo nomen tuum in æternum.
39 Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.
40 Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me; &

Synagoga potentium quesierunt animam meam ; & non proposuerunt te in conspectu suo.
41 Et tu Domine Deus miserator, & misericors; patiens & multæ misericordiæ, & verax.
42 Respice in me, & miserere mei ; da imperium tuum puero tuo , & saluum fac Filium ancillæ tuæ.
43 Fac mecum signum in bonum , vt videant, qui oderunt me, & confundantur ; quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.
Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMVS 115.

44 CRededi propter quod locutus sum ; ego autem humilitatus sum nimis.
45 Ego dixi in excessu meo : omnis homo mendax.
46 Quid retribuam Domino : pro omnibus, quæ retribuit mihi ?
47 Calicem salutaris accipiam : & nomen Domini inuocabo.
48 Vota mea Domino reddam coram omni populo eius ; prætiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

49 O Domine quia ego seruus tuus : ego seruus tuus, & Filius ancillæ tuæ.
50 Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiã laudis : & nomen Dñi inuocabo.
51 Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atrijs domus Domini, in medio tui Ierusalem.
Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMVS 129.

52 DEprofondis clamaui ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.
53 Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.
54 Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit ?
55 Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.
56 Sustinuit anima mea in verbo eius ; sperauit anima mea in Domino.
57 A custodia matutina vsq; ad noctem ; speret Israel in Domino.
58 Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.
59 Et ipse redimet Israel ; ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri, &c. Cætera vide in fine præparationis Missę.

Gratiarum actio post Missam.

Antiphona.

Trium puerorum Cantemus Hymnũ, *&c.*

60 BEnedicite omnia opera Dñi Dño; laudate, & superexaltate eum in sęcula.
61 Benedicite Angeli Domini Domino: Benedicite Cæli Domino.
62 Benedicite aquę omnes, quæ super cælos sunt Domino; Benedicite omnes virtutes Domini Domino.
63 Benedicite Sol, & Luna Domino; Benedicite stellæ cæli Domino.
64 Benedicite omnis imber, & ros Domino; Benedicite omnis Spiritus Dei Domino.
65 Benedicite ignis, & æstus Domino: Benedicite frigus, & æstus Domino.
66 Benedicite rores, & pruina Domino; Benedicite gelu, & frigus Domino.
67 Benedicite glacies, & niues Domino; Benedicite noctes, & dies Domino.
68 Benedicite lux, & tenebræ Domino: Benedicite fulgura, & nubes Domino.
69 Benedicat terra Dominum; laudet, & superexaltet eum in sæcula.
70 Benedicite mõtes, & colles Dño: Benedicite vniuersa germinãtia in terra Domino.
71 Benedicite fontes Dño; Benedicite maria, & flumina Domino.

72 Benedicite cæte', & omnia, quę mouentur in aquis Domino ; Benedicite omnes volucres cæli Domino.

73 Benedicite omnes bestiæ, & pecora Dño; Benedicite filij hominum Domino.

74 Benedicat Israel Dominum ; Laudet, & superexaltet eum in sæcula.

75 Benedicite Sacerdotes Domini Domino ; Benedicite serui Domini Domino.

76 Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino ; benedicite Sancti, & humiles corde Domino.

77 Benedicite Anania &c. vt in Missali.

PSALMVS 150.

78 Laudate Dominum in Sãctis eius : laudate eũ in firmamento virtutis eius.

79 Laudate eum in virtutibus eius : laudate eũ secũdũ multitudinẽ magnitudinis eius.

80 Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio, & cithara.

81 Laudate eum in tympano, & choro : laudate eum in chordis, & organo.

82 Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dñum. Gl. Patri, &c.

Antiphona.

Trium puerorum, &c. vt in fine Gratiarum actionis.

NE REMINISCARIS

Domine delicta nostra; vel Parentum nostrorũ, neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

Ideſt: ne reminiſcaris Domine delicta noſtra: Patris, vel Matris meæ; fratrum ſororum ſpiritualium, vel carnalium. Benefactorum, amicorum, Inimicorum, &c.

Quam dilecta Tabernacula *tua Domine virtutum concupiſcit, & deficit anima mea in Atria* Domini.

PSALMVS 63.

1 IDeſt; quam amabilia, & ſuauia ſunt Tabernacula tua: *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*: Si quis enim Domini dulcedinem guſtauerit, verè dicere poterit cum Diuo Petro: *Faciamus hic tria Tabernacula; Tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Vel faciamus vnicum Tabernaculum, quod vſque ad ſæculi conſummationem cum hominibus maneat: *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*, In quo ſeruatur nobiſcum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramen-

mentum, quod est verum Iesu Christi Corpus, Anima, & Diuinitas, & Sanctissimus sanguis; & per circumincessionem Pater, & Spiritus Sanctus. Et hoc est solennissimum animarum Sacerdotum conuiuium, in quo singulis diebus epulari solent; nempe in Domino virtutum; Deus enim est omnium virtutum cumulus ad distinctionem inaniũ Deorum; qui erant Dij vitiorum, & immunditiarum omnium: quibus gentiles immunda immolabant sacrificia [concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini] In hoc enim Sacro Conuiuio memoria Christi Passionis recolitur; si quis enim feruenti animo, & puro corde celebrauerit, illicò atria Domini concupiscit: Idest atria Pilati, Herodis, atq; Pontificum: in quibus blasphematus, alapis cæsus, derisus, flagellatus, coronatus fuit &c. Dominus noster Iesus Christus: [deficit anima mea] nempe præ admiratione, dolore, spirituali lætitia, & amore extra se rapitur, & ad terram vna cum corpore labitur. *Ibi Beniamin adolescentulus in mẽtis excessu.*

Cor meum, et caro mea exultauerunt in Deuum viuum.

2 IDest: ex pura, humili, ac deuota communione Sãctissimi Sanguinis sumptione,

ne, Sanctissimi Sacramenti, ac rerum cælestium Passionis Iesu Christi contemplatione, meditatione, recordatione; Cor celebrantium, deuoteq; communicantium præ lætitia exultat, lætatur cor querentiū Dominū. Et D. Paulus dicebat; *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*: Et Diuus Petrus a *Lętitia innenarabili, &c.* Et sic Sanctus Philippus Nerius meritissimus Congregationis Oratorij Fundator; ita in Dei amorem feruescebat, exultabat, vt cum cęlesti sponsa præ amore languens propemodum insaniret. *Nos stulti propter Christum*. Et non solum cor, sed insuper, & ipsa caro exultat; ac si iam fruitiones futuræ resurrectionis aliqualem haberet certitudinem: [in Deum viuum] in illum Deum viuum à Diuo Petro cognitum, atq; acclamatū, quando dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*: licet enim Propheta non fuerit tempore Incarnati Verbi, illum tamen præuidit, ac videre summopere concupiuit: *Multi Prophętæ, & Reges cupierunt videre quę videtis, & non viderunt &c.* [In Deum viuum] ad distinctionem Deorum Gentilium: qui erant simulacra argentea, & aurea, vel lapidea ænęa &c. à Rege Prophæta subsannata: *Simulacra gentium, argentum, & aurum opera manuum hominuum: os habent, & non loquentur, & c. aures habent, & non audient, &c.*

commiſſas ad eandem deuotionem excitando, Domino Deo illas commendando, inſtruendo; *Nam qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum.*

Altaria tua Domine uirtutum; Rex meus, et Deus meus.

4 LIcet Deus in veteri Teſtamento Salomoni præceperit vt altaria, & quidem prætioſa ad Sacrificia facienda, aliaq; peragenda conſtruerentur: Et in nouo Teſtamento afflatù Spiritus Sancti non minus prętioſa altaria materialia, in diuerſis mundi partibus ſint ædificata, continuèq; ædificentur; Non tamen Deus adeò illis delectatur, ſicuti in altaribus virtutum in quibus prò Dei amore mactatur voluntas; vitia deſtruendo optimus, ac perfectos habitus acquirendo; frequentatis enim actibus fit habitus. Deus enim magis delectatur cordis puritate, quàm rerum prætioſitate. Et quò ad Sacrificia ſuper huiuſmodi altaria poſita per os Prophetæ dixit Deus; *Nunquid manducabo carnes Taurorum, aut Sanguinem hircorum potabo? immola Deo Sacrificium laudis, & redde altiſſimo: vota tua.* Igitur deuotus Chriſti Miniſter debet pro viribus Altaria virtutum;

Apostolorum, Annæq; Prophitissę; die, ac nocte habitant in domo tua Domine; ideſt in Templo Sancto tuo celebrando, miniſtrando, peccata confitendo; confeſſiones audiendo, Populo doctrinæ cæleſtis pabulum exhibendo; Christi paſſionem ruminando, contemplando, laudes Diuinas perſoluendo; vocaliter, mentaliterq; orando, Domus mea, domus orationis eſt [in ſæcula ſæculorum laudabunt te] Ideſt poſt quam in Eccleſia militanti tuam Maieſtatem laudauerint, & ab hinc migrauerint, cæleſtem patriam obtinuerint; In Eccleſia Triumphanti cum ſupernis ſpiritibus æternaliter te laudabunt, ac inceſſabili voce Sanctus, Sanctus Sanctus clamabunt.

Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: Aſcenſiones in corde ſuo disposuit in ualle lacrymarum; in loco, quem posuit.

6 IDeſt: Beatus Christi Seruus fideliſq; Miniſter, qui ab eius auxilio protectus, munitus, & adiutus, cui numquam poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij eius: *Non enim eſt, qui poſſit eius voluntati reſiſtere*: Et patientiſſimus aiebat: *pone me iuxta te*,

te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Tali enim lorica indutus nequissimi hostis tela confringet: Ac in hac valle lacrymarum in loco ob peccatum Adæ exilij; in corde suo ascensiones disponet. Idest auxiliante Deo firmas acquiret virtutes, super quas, velut super gradus è valle Lacrymarum, persecutionum, miseriarum, ac afflictionum poterit exire, & ad patriam Cælestem peruenire, & Deum non per speculum in ęnigmate, sed facie ad faciem in sæcula sęculorum videre.

Etenim benedictionem dabit Legislator ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Syon.

7 IDest: Legislator nouæ legis Iesus Christus Dominus noster suis Sanctis Vicarijs, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Missionarijs, Sacerdotibus, omnibusq; alijs Ministris ex toto corde Deum quærentibus suam Sanctam Ecclesiam diligentibus, sacra omni diligentia peragentibus suam sanctissimam præstabit Benedictionē: *Benedictio Domini super vos, super vos, & super filios vestros. Benedicti vos à Domino, qui fecit Cęlum. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, &c.* Sicut benedixit Apostolis, dum in

in cælum fereretur. Qua benedictione adiuti, & confortati ; ibunt de virtute in virtutem, donec perfectionis culmen attingant, ac copiam gratiæ ſanctificantis miſericorditer obtineant Deo auxiliante : *Omne enim datum optimum, & donum perfectum deſurſum eſt , deſcendens à Patre luminum* . Quibus benedictionibus ; ac donis cæleſtibus Sancti erunt , ac Dij : *Sancti eſtote , ſicut Pater veſter cęleſtis Sanctus eſt*: Et quilibet Sanctorum per Spiritum Sanctū Deus eſt . *Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes* (videbitur Deus Deorum in ſion) ideſt : In cæleſti gloria videbitur Deus in medio Deorum Sanctorum S. Pontificium , Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum , Concionatorum, Sacerdotum, cæterorumq; miniſtrorum . Et merito quidem : *Vt vbi ego ſum, & vos ſitis; & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam auribus percipe Deus Iacob.

8 IDeſt ; Domine Deus obedientię : *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortem* : Deus paupertatis : *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea* : Deus caſtitatis; *Sint lumbi veſtri præcincti* ; Deus humilitatis :

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; Deus pacis; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Deus misericordiæ; *Misericordiam volo. & non sacrificium*; Deus patientiæ: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*: Deus perseuerantiæ; *Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit*; Deus abstinentiæ; *Cauete à crapula, & ebrietate*: Deus caritatis; *Deus charitas est*; Deus bonitatis; *Bonus es tu*; Deus orationis; *Oportet semper orare*; Deus sapientiæ, & scientiæ; *In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*. Deus tandem omnium virtutum, ad quas feruidus Sacerdos debet aspirare illasq; à Deo instanter postulare: *Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur vobis. Vsq; modò non petistis quicquam in nomine meo, &c.* Et postquam Sacerdos à Deo exauditus fuerit, & ea, quæ humiliter postulauerit, benignè obtinuerit, debet se immunem ab omni labe seruare per viam mysticam Deo fideliter seruire, in ipsum transformari, & transmutari. Vt tamen Deus Iacob facilius auribus orationes eius percipiat; pro animarum salute vitam non debet deserere actiuam: sed vna cum ipso Deo Iacob (idest Deus laborum, afflictionum, ac dolorum; Iesus autem fatigatus ex itinere, &c.) debet animarum saluti incumbere, vigilare, orare, prædicare, oues scabie infectas curare, & amissas in ouile

ouium reducere : *Attendite vobis, & vniuerſo Gregi &c.*

Protector noſter aſpice Deus ; *& reſpice in faciem Chriſti tui.*

9 PRotector noſter, Creator noſter, Redemptor noſter, Auctor noſter, ſpes noſtra, ſalus noſtra, Honor noſter &c. reſpice ſuper miniſtros tuos præcipuè animarum curam habentes; non rarò prò tui nominis honore perſecutiones patientes : *Qui enim volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſecutiones patientur* . At tu Domine Deus virtutum ; qui mundum viciſti libera eos de manibus odiẽtium, calumniantium, ac perſequentium ; & oſtende mendaces eos, qui maculauerunt illos obmerita faciei tuæ pro nobis percuſſę, ſanguine conſperſæ, commaculatæ, laceratæ , &c. Et vos pij Sacerdotes reſpicite in faciem Chriſti Redemptoris noſtri , illam ſummopere diligite, ſemper fixam in corde tenete, & cùm Rege Prophæta dicite : *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea ; faciem tuam Domine requiram : Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum ; Ne auertas faciem tuam à me ; Auertiſti faciem tuam à me ; & factus ſum conturbatus ; Ne proicias me à facie tua , & Spiritum*

Sanctum tuum ne auferas à me: Præocupemus faciem eius in confessione; ex præsentia enim facie Saluatoris perfecta oritur perfectio. Ambula coram me, & esto perfectus.

Quia melior est dies una in atrijs tuis super millia.

10 IDest: melior est dies vna æternæ fruitionis, Beatificæ visionis Sanctorum omnium societatis in atrijs tuis siuè in aula cælesti superni Regis; cuius habitatio plena est cælestibus mercibus, & æternis diuitijs; *Gloria, & diuitię in domo eius*, Quas pius Sacerdos acquiret, si legitime in Ecclésia militante certauerit, & fidelis Deo suo vsq;ad mortem fuerit: *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit possidebit hæc: Vincenti dabo ædere de ligno vitę, quod est in Paradiso Dei mei* (super millia) idest super mille diebus huius perditissimi, ac maligni sæculi; *Totus mundus positus est in maligno, qui suas consolationes tantum reponit in vanitatibus, in conuiuys, in diuitijs, in immunditijs, in ducendis choreis, in tympanis, & Cytharis &c.* Quę omnia debet pius Christi minister (vna cum omnibus, qui volunt in Christo Iesu piè viuere) tamquam pestifera, & venenata commercia cauere, ac

se

ſe impollutum, & immaculatum cuſtodire: Nam ſi in huiuſmodi vanitatibus (quod abſit (immerſus fuerit, vix pedem refert: *Nam qui bibit ex hac aqua ſitiet iterum.*

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magiſquam habitare in tabernaculis Peccatorum.

11 IDeſt; Elegi hanc vitam Clericalem, monaſticam, ſiue Regularem, quæ mundanorum oculis abiecta eſſe videtur; putant enim huius mundi perditiſſimi homines, quando intelligunt aliquem Iuuenem, ſiuè Iuuenculam diuitem, & elegantem Deo ſe conſecraſſe, vota obedientiæ, paupertatis, caſtitatis emiſiſſe, diuitias iuxta Euangelicum conſilium pauperibus diſtribuiſſe: pulcras domos, libertatem, ſeruos, vana & pretioſa veſtimenta, ſiue ornamenta reliquiſſe, vilia induiſſe, propriam voluntatem, & arbitrium abnegaſſe, &c. putant inquam illos inſanire; & quod melius feciſſent, ſi in mundo manſiſſent, conſolationibus, ac impietatibus ſæcularibus peruerſis deſiderijs potiti fuiſſent; Illas terribiles Sanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias ignorantes:

Vè nēpe vobis diuitibus, qui habetis cōsolatione vestram: Vè vobis, qui saturati estis, quia esurietis 3
Vè vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.
multo melius ergo est hāc vilem, & abiectā sed suauem vitam in domo Dei; idest in Ecclesia, siuè in aliqua sancta, deuota, ac obseruante Religione, eligere, & cum alijs fratribus habitare; *Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum* [magis quam habitare in tabernaculis peccatorum] Idest potius quam conuersari, viuere, epulari, luxuriari in domibus hereticorum; Nefariorum, Lutheranorum; Caluinistarum: Anabatistarum &c. hostium capitalium Summi Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, Missionariorum, Sacerdotum, Clericorum, vtriusq; sexus Religiosorum. Sic dicendum est de tabernaculis peruersorum Catholicorum, qui more Atheistarum viuunt, qui dictis fingunt credere, factis autem negant, & in Christo pie viuentes subsanant, ac despiciunt. *Nam ambulans recto itinere, ac timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via.*

Quia misericordiam, et ueritatem diligit Deus; gratiam, et gloriam dabit Dominus.

12 IDest: miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors super omnia misericordiam diligit; De qua pijssima, sanctissima, prudentissima, vtriusq; sexus Religiosorum mater Reformatrix, ac plurimarum Virginum Sacrorum Cęnobiorum Fundatrix Theresia sępissime cantabat, in corde ruminabat, siuè eructabat Sacratissimam hanc breuem canciunculam: *Misericordias Domini in æternum cantabo*: Et meritò quidem: scriptum est enim: *Miserationes eius super omnia opera eius*. Magna opera Domini ad extra: *Sed miserationes eius super omnia opera eius*: Magna opera Domini in huius mundi creatione, sed *Miserationes eius, super omnia opera eius*: Magna opera Domini in recreatione, siuè huius mundi Redemptione; *Sed miserationes eius super omnia opera eius*; Magna opera Domini in mundi conseruatione (conseruatio enim continua est quedã creatio): *Sed miserationes eius super omnia opera eius*: Magna opera Domini specialiter in Incar-

natione, siuè corporis assumptione, in circumcisione, exulatione, ex Ægypto reductione, in disputatione: Parentum subiectione; *Sed miserationes eius super omnia opera eius*: Magna opera Domini in Baptismo suscipiendo, in Deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus sine cibo, & potu ieiunando, cum bestijs habitando, in Discipulos vocando, mortuos suscitando; Demones expellendo, Leprosos mundando; cæcos illuminando: mutos, ac surdos sanando: claudos erigendo: in concionando: Pisces, ac panes multiplicando; super aquas ambulando; ventis, & mari præcipiendo: *Sed miserationes eius super omnia opera eius*: Magna tandem opera Domini in Sanctissimi Sacramenti institutione, in oratione; in Apostolorum pedum lotione, in Agonia, Captione, flagellatione, coronatione, crucis baiulatione, fellis, & aceti potatione, crucifixione, morte, & Resurrectione, Ascensione, in Spiritus Sancti missione; *Sed misericordia eius super omnia opera eius.*

Ob hanc suam dilectam misericordiam in corde innatam dum apud nos esset, peccatores, & peccatrices quærebat: non veni quærere iustos, sed peccatores. Cum ipsis comedebat; *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester? Hic peccatores*

reci-

recipit, & manducat cum illis. Illos in fide instruebat, cum illis manebat: *Zachee festina descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Apostolos, vt septuagies septies parcerent, docebat, &c.

Et non solum misericordiam miserator diligit Deus; sed etiam veritatem: cum ipsemet sit prima veritas; *Ego sum via, Veritas, & vita*. Et conquerendo de Iudeorum perfidia aiebat: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Has ergò inter alias duas prestantissimas virtutes misericordiam scilicet, & veritatem salutis nostræ Auctor nobis fidelibus pro legitimo sempiterno amplectendas reliquit: præcipuè verò Missionarijs fidei defensoribus, Verbi Dei Præconibus, Sacerdotibus, & maximè curam animarum habentibus: Qui Saluatoris sui vestigia sectando (*vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius*) illasq; semper fixas in corde tenere debent: *Nam Deus perdet omnes, qui loquuntur mendacium*, ac pro fidei veritate si opus fuerit mortem subire, ac Martirij (ò vtinam) palmam obtinere. Deinde induere viscera misericordię, benignitatis, bonitatis, &c. Quod si fecerint: gratiam, & gloriam prębebit illis Dominus, facienti enim, quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Non

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

13 IDest: non expoliabit prius bonis temporalibus illos probos, perfectos, ac innocentes Ministros, qui ex toto corde exquirunt eum, temporalia spiritualibus postponunt, vocem eius audiunt; & sequuntur illum; *Innocentes, & recti adhæserunt tibi. & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te nutriet, et non dabit in æternum fluctuationem Iusto.*

Non priuabit bonis] non solum non priuabit sed insuper Sacerdotem timentem eum diuitijs ditabit: *Gloria, et diuitiæ in domo eius: Replebuntur torcularia vino, et valles abundabunt frumento*. Et Deus increpat eos, qui nimiam habent in rebus temporalibus sollicitudinem. *Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis; Quærite ergò* (perfecti, & Innocentes Sacerdotes) *Primum Regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc om-*

nia

nia adijcientur vobis. Matt. 6.

[Non priuabit bonis] ideſt eleemoſinis illos bonos vtriuſque ſexus Religioſos, qui pro Chriſti amore ſua bona reliquerunt, pauperibus diſtribuerunt, ac in clauſtris ſub Regula Patriarchæ Pauperum S. Franciſci ſe clauſerunt: & ambulant in Innocentia: Ideſt; in votorum, conſtitutionum, Traditionum, Conſiliorum, ac Regulę perfecta obſeruantia, in laudibus Diuinis, oratione, patientia, ac perſeuerantia.

Et ſi Clementiſſimus Deus non ſolum paſcit animalia, ſed etiam illos, qui talem, ac tantam offendunt Maieſtatem; quantò magis curam habebit Domeſticorum ſuorum, vtriuſq; ſexus Religioſorum, qui pro nominis ſui amore poſtquam profeſſi fuerunt, nec obulum quidem tetigerunt, ſed in brachijs Diuinæ potentiæ, ac prouidentiæ ſe proiecerunt, nec errauerunt, *Quia non ſunt defraudati à Deſiderio ſuo*. Nam Pater Cęleſtis tot Religioſorum millia abſq; poſſeſſionibus, aut marſupijs per circulum tot annorum paſcit, fouet, veſtit, ac nutrit. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis faciens prodigia*, mirabilis in operibus, qui non relinquit quęrentes ſe, &c.

[Non priuabit bonis] ideſt: ſpiritualibus quæ ſunt temporalibus meliora, ac pręſtantiora) eos qui ambulant in Innocentia, corde,

de, & opere, ac sermone : *Innocens manibus, & mundo corde*; Scilicet eos, qui virtutibus, ac perfectioni incumbent : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cęlestis perfectus est. Ibunt de virtute in virtutem : Omni enim habenti dabitur, et abundabit : Deus enim dat, & non improperat; petite, et accipietis, quęrite, et inuenietis, pulsate, et aperietur vobis : Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde* [Domine virtutum Beatus homo, qui sperat in te] Domine virtutum. Vide supra] Beatus homo, &c. Idest : qui ponit omnem spem in Domino Deo suo, à quo ęternam hauriet salutem : *Spes enim eorum in saluantem illos; qui confidunt in illum non confundentur, qui saluos facit sperantes in se.*

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

IDest : Patri Cæli, & terræ, visibilium, & inuisibilium Creatori, Gubernatori, conseruatori; Gloria Filio totius generis humani Redemptori, Saluatori, Pręceptori, Legislatori; Gloria Spiritui Sancto, fidelium animarum consolatori, Ecclesiæ Rectori. Gloria Deo Patri, Gloria Deo Filio, Gloria Deo Spiritui Sancto. Gloria Domino Patri, Gloria Domino Filio, Gloria Domino Spiritui Sancto

Sancto . Gloria Immenſo Patri, immenſo Filio, immenſo Spiritui Sancto, Gloria increato Patri, increato Filio, increato Spiritui Sācto Gloria ęterno Patri, æterno Filio, ęterno Spiritui Sācto. Gloria Omnipotenti Patri, Omnipotenti Filio, Omnipotenti Spiritui Sancto . Gloria Deo, qui eſt Trinus in perſonis, vnus in eſſentia . Omnipotens: Ideſt poteſt omnia, poteſt infinitos mundos creare, & creatos anihilare: Omnipotens: ideſt: poteſt ea, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt: Omnipotens: ideſt: Ens: Deus enim non eſt corpus, nec in eo compoſitio materię: & formæ, naturæ, & accidentis, ſed eſt ſua eſſentia: ens entium, in quo non eſt compoſitio generis, & differentiæ ſubiecti, & accidentis, actus, & potentiæ, eſſentiæ, & exiſtentiæ, ſed eſt actus puriſſimus, qui non venit in compoſitionem cum alijs . Ens perfectiſſimum, in quo eſt omnium rerum perfectio: Ens bonum, ſummum, cuius proprium eſt eſſe bonum per eſſentiam : cuius bonitate omnia ſunt bona: Ens infinitum, ſed ſimpliciter; Ens, quod eſt in omnibus rebus, non ſicut eſſentia, vel ſicut accidens , ſed ſicut agens adeſt ei, in quod agit, & eſt in omni loco, vt dans rebus eſſe, & virtutem, & operationem, Replens omnem locum, quod dat eſſe omnibus locatis; quæ replent omnia loca:

ca: Vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam; cuius proprium est esse vbique, Ens immutabile, incircumscriptibile, infinitum, inimitabile.

Sempiternus Deus, Æternus, æternitas distincta ab æuo, & tempore. Tempus enim habet principium, & finem: Æuum habuit principium; sed non habebit finem, æternitas verò vtroq; caret. Cuius esse est instans, quod non mensuratur tempore, & non datur in personis prioritas, nisi ratione nostra ex origine, quatenus concipimus Patrem ante Filium. Æternus, Ternus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Pater generat, Filius generatur, Spiritus Sanctus ab vtroque procedit, siue spiratur. Tres personæ realiter inter se distinctæ; Quæ constituuntur vna cum proprietatibus, Paternitatis, Filiationis, Spirationis, ac Processionis. Quæ manifestantur quinque notionibus: Inascibilitate, Paternitate, Filiatione, Spiratione, ac Processione, Trinus, idest Ter Vnus; Vnus quia est simplicissimus indiuisus: Et est Ens subsistens omnibus modis indeterminatum; Vnus, & maximè Vnus.

Vnus; & quicquid in Deo est realiter inter se distinctum, identificatur cum essentia Diuina: Tres personæ realiter distinctæ, sed identificantur cū essentia Diuina; Tres proprietates realiter distinctæ; sed identificantur

cum

cum essentia Diuina; Quinque notiones diuersimodè significantes; sed identificantur cum Essentia Diuina.

In ipso sunt attributa, Iustitia, bonitas, misericordia, potentia, sapientia, quæ formaliter, vel saltem ratione ad inuicem distinguntur. Cantemus igitur maxima cum deuotione, reuerentia, humilitate, & attentione; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Erga quem versiculum tanta erat deuotio sanctissimi Patris nostri Francisci, quod illum multoties, antequam ad terminum perueniret, repetebat, in omnibus creaturis Creatorem agnoscebat, attentissimè Psalmos persolue bat, & præ amore languebat &c. [Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen] Qui est, & qui erat, & qui venturus est Iudex, & regnabit in sæcula sæculorum Amen.

CAP. II.

PSALMVS 84.

Benedixisti Domine terrã tuam auertisti captiuitatem Iacob.

14 IDest; Tu Domine, ac pijssime Pater, qui terrę ob primi parentis nostri peccatum maledixisti; *Maledicta terra in opere tuo:*

in

in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. Modo vero per secundum Adam per merita nempè Domini nostri Iesu Christi; benedixisti, ac fæcundasti terram, Ecclesiam scilicet, vel populum Christianum; Nam per terram intelligitur homo; iuxta illud: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es; quia puluis es, et in puluerem reuerteris;* Et per hominem Christianum Catholicum Ecclesia interpraetatur; iuxta illud: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo:* pro liberatione scilicet Diui Petri. Oratio fiebat ab Ecclesia; idest, ab hominibus, non à parietibus. Hæc ergo Ecclesia, in qua Catholici orant, ac Sacerdotes fideliter pro animarum salute laborant, benedicta fuit à Domino. *Quoniam dabis eum* (scilicet populum Catholicum, non hæreticum) *in benedictionem in sæculum sæculi.* Et de eodem populo dictum est Abrahæ; *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* [Auertisti captiuitatem Iacob] Idest, per Filium tuum Redemptorem nostrum, subuertisti, siuè liberasti illos Sanctos Patres, qui ob primi nostri Parentis peccatum captiui in Lymbo detinebantur. Sicut scriptum est; *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus.*

Auer-

[Auertiſti captiuitatem Iacob] Ideſt per bonos concionatores, Miſſionarios, Parochos, Rectores, Confeſſarios, vna cum omnibus illis qui animarum ſaluti incumbunt: Hi enim velut terra à Domino Deo benedicta, non ſterilis aut inculta, ſed valde fertilis pro viribus quærunt auertere captiuitatem Iacob: ideſt liberare miſerrimos peccatores in ore draconis infernalis captiuos; De quibus Iſaias, *Anima eorum in captiuitatem ibit.* Hoc exparte peccatorũ. At pro illorum liberatoribus, ſiuè animarum curam habentibus, in vinea Domini laborantibus intelligendum eſt illud Pſalmiſtæ: *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut Torrens in Auſtro.*

[Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti, &c.] Terra iſta benedicta à Spiritu Santu, de Virgine M A R I A intelligi poteſt: ſicut dixit: *Benedicta tu inter mulieres*. Hæc eſt illa ſacratiſſima terra, de qua ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter; vt in præſenti Pſalmo habetur: *Veritas de terra orta eſt: Ego ſum Via Veritas, & Vita*. Hæc eſt in quam, illa terra, ob prȩuiſa Filij ſui merita ab omni labe peccati ſemper intacta, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpȩ fuit. Vnde Andreas Apoſtolus: dixit. Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus; neceſſarium fuit, vt de Imma-

culata Virgine natus Christus, vitam æternam, quam omnes perdiderant repararet. Sanctus Augustinus; sicut primus Adam de limi materia figuratus est: Ita secundus Adā, quasi de intacta, ac rudi terra de Virginis carne formatus est: Diuus Hieronymus: Hæc est ortus conclusus: fons signatus; puteus aquarum viuentium, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, næc præualuit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata. Idem in psalmos: Pulchrè Prophæta apellat Virginem nubem diei: Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Sanctus Anselmus: *O Benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos superas pietate.* Hæc ex Breuiario Franciscano à Pontificibus approbato. Ad hanc ergo Aduocatam, Virginemq; Immaculatā, terram inuiolatam, summa cum deuotione humilitate, ac reuerentia debent omnes populi, maximè Concionatores, Confessarij, animarum Rectores indesinenter recurrere, in persecutionibus, tentationibus, ac alijs necessitatibus auxilium illius postulare. Ipsa est enim murus fortissimus; *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Ad hanc confugierunt omnes Sancti, & amici Dei, ipsa enim hostes deprimit; Demones prosternit, hæreses interimit: Vnde

in

in eius laudem sancta cantat Ecclesia : *Gaud MARIA Virgo cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso Mundo .*

Remisisti iniquitatem plebis tuæ operuisti omnia peccata eorum.

15 IDest: dimisisti iniquitatẽ per virtutem Baptismi plebi tuæ, siue infantibus in peccato originali conceptis: de quo peccato. Psalmista ait : *Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea .* Omnes enim (vna Virgine MARIA excepta) cum Adam peccauimus : *In quo omnes peccauerunt : Peccauimus cum Patribus nostris ;* & sub potestate Draconis Infernalis remansimus filij iræ, &c. At per ifinita IESV Christi merita in lauacro Baptismi, & per potestatem Baptizantibus concessam, Demon ab infantibus expellitur ; potestas illius destruitur, Spiritus Sancti gratia infunditur : Nam Sacerdos magna fiducia , ac potestate cum aliquam creaturam baptizat insuflando ait : Exi ab eo, vel ab ea immunde spiritus, & da locum Spiritui Sancto[Remisisti,&c.] Idest peccatum actuale , quod per iniquitatem intelligitur : Vnde Propheta Dauid aiebat : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco , & pecca-*

tum meum contra me est semper. Ideſt ſemper reuoluo in mente mea peccatum adulterij, & homicidij. Licet enim mihi confitenti peccatum meum, Peccaui Domine, Dominus Pater miſericordiarum tranſtulerit, ſiue dimiſerit peccatum meum: *Dominus tranſtulit peccatum tuum à te*; Ideſt quoad culpam; at quoad pænam multum mihi remanet flendum, ac pænitendum, quia tranſgreſſus ſum mandata Dei mei. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam*: Hæc de confeſſione ceremoniali intelligenda ſunt.

[Remiſiſti,&c.] Ideſt; in Confeſſione Sacramentali, quę fit legitimis confeſſarijs: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiā meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Et Sanctus Ioannes; *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt Deus, vt remittat nobis omnia peccata noſtra, & emundet nos ab iniquitate noſtra*. Et Sanctus Iacobus: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*.

[Operuiſti omia peccata eorum] In ſatisfactione: Prouerb. *Vniuerſa delicta operit Charitas*; Ideſt opera in charitate facta. Et Sanctus Petrus; *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

Mili-

Mitigasti omnem iram tuam auertisti ab ira indignationis tuæ.

16 Mitigasti &c.] Deus Pater, qui ob peccata hominum carnalium sine tui cognitione, sine lege in delictis suis ambulantium; Totus eras ira accensus (licet Deus methaphoricè tantum iratus dicitur; nam caret omni mutatione, ac perturbatione, & ira) Diluuium in mundum misisti (paucis exceptis) vniuersum submersisti; Illas infames Ciuitates flammis tradidisti. Exercitum ingentem Sennacherib per manū Angeli in ore gladij posuisti. Ægyptios percussisti, Ingratos Hæbreos in deserto occidisti. Terræ promissę Gentiles in manibus Hebreorum tradidisti; Dominus exercituum vocari voluisti; Terribilis Nomen obtinuisti; *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* diu iram] tuam exercuisti; Pestilentiam, famem, magnos terrę motus misisti. Diuersas mundi partes, plurasq; Ciuitates destruxisti, &c. At postquã filium tuum nobis misisti; Iesumq; [idest Saluatorem] ac Regem pacificum nominari voluisti. Perspectis eius lacrymis, paupertate, passione &c. Tunc, inquam [mitigasti omnem iram tuam] Ideſt; in exilium omnem

iram tuam relegasti; oculos à furore indignationis tuæ auertisti, Pietatis viscera induisti; Pater misericordiarum à Diuo Paulo vocatus fuisti, impietatibus, ac sceleribus nostris pepercisti; ac hominem perditum per mediatorem Christum tibi reconciliasti; Deus in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.

[Mitigasti omnem iram tuam] Potest hoc Parochus cantare: omnia flagella, quę super populum mihi commissum ob eius scelera expectabam. Nunc autem perspecta eius pænitentia, Ieiunijs, confessionibus Sacris, ac lacrymis condonasti; sicut pænitentibus Niniuitis pepercisti, & omnia peccata eorum in profundum maris proiecisti. Non enim vult Deus mortem peccatorum, sed vt magis conuertantur, & viuant.

Conuerte nos Deus saluaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

17 IDest; Deus Iustus Iudex, qui ob peccata, & scelera nostra dilectissimam faciem tuam auertisti; Nunc autem (vt supra diximus) perspectis confessionibus, communionibus, fletu, & planctu; ne reminiscaris amplius delicta nostra: Tu enim dixisti per

os

os Prophetæ tui Ioelis; *Cõuertimini ad me in toto corde vestro, in Ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vostra, & non vestimenta vestra*. Conuertere, & tu Deus salutis nostræ super seruos tuos, saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te. Hanc deuotissimam canciunculam debet pius Sacerdos in Completorio maxima cum deuotione cantare; ac peracto conscientiæ examine ad quietem se recipere.

Numquid in æternum irasceris nobis aut extendes iram tuam à generatione, in generationem.

18 [NVnquid, &c.] Quasi dicat; nequaquam, tam benignus, & misericors Dominus, qui est pręstabilis super omnem hominum malitiam, irasci poterit, vel diu iram suam exercere contra nos; Infinita enim misericordia eius iustam iram lenit, ac temperat. Vt ait Abacuk; *Cum iratus fueris, misericordię recordaberis: Recordatus est, quoniam puluis sumus. Ipse nouit figmentum nostrum.* Et in Isaia; *Non insempiternum litigabo, neq; vsque in finem irascar.*

[Aut extendes iram tuam à generatione,

in generationem?] quasi dicat; non extendet. Deus enim non punit filios ob parentum peccata; *Filius non portabit iniquitatem Patris; Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Nec obstat illud Exodi. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios vsq; in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me;* Hoc enim cum Augustino intelligẽdum est de Filijs præscitis; vel cum Euthymio de illis, qui idololatrando parentum secuti sunt exemplum. Et in Ezechiel; Quid est, quod in seruos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel? *Dicentes Patres comederunt vuam acerbam, & dentes Filiorum obstupescunt: Viuo ego dicit Dominus Deus, si erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium in Israel: Ecce omnes animæ meæ sunt; Vt anima Patris, ita & anima Filij mea est; Anima quæ peccauerit ipsa morietur;* & in Ierem. *Omnis homo, qui comederit vuam acerbam obstupescent dentes eius.*

Non tamen absolute negandum est, quod aliquando Deus ob scandala, vel peccata quorundam, vel etiam vnius personæ, iram suam non exerceat puniendo integrum populum, mittendo siccitatem, inundationes, pruinas, grandines, locustas, bella, &c. Sic castigauit populum Iudaicum ob furtum, & inobedientiam Achan. Ideo pius Parochus debet diligenter super gregem sibi commissum inuigi-

lare, oues infestas curare, scandala extinguere & iram Dei à se, & à populo suo auertere. Cum enim iratus fuerit misericordiæ recordabitur.

Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

19 DEus tu conuersus &c.] Idest: Deus, qui iram tuam iam mitigasti, & in ęternum irasci nescis, pænitentiam, & lacrymas de longe aspicis; inita inter Deum, & nos pace, reconciliatione. Nunc conuersus es ad nos: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: date, & dabitur vobis; eadem quippe mensura, quā mensi fueritis, remitietur vobis: diligite Deum, & ipse diliget vos: Ego diligentes me, diligo: dimittite, & dimittetur vobis:* Tanta est enim oculorum Dei puritas, quòd diù iniquitates nostras intueri non potest. *Mundi sunt oculi tui Domine, & respicere ad iniquitatem non poteris:* Conuertit autem se ad bonos, & ad pænitentes de peccatis per propitiationem: *Conuertere Domine vsquequo, & deprecabilis esto super seruos tuos. Gratia Dei, & misericordia est in Sanctos eius, & respectus in electos eius.* [Viuificabis nos] Idest: Nos, qui

ob peccata vitam amiſeramus ſpiritualem in conuertendo vultum tuum ad nos, corda noſtra illuminaſti, gratiam tribuiſti, mentes viuificaſti, animas iuſtificaſti. Vt Apoſtolus ait: *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos; & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificabit nos Chriſto, &c.*

Et illud Lucæ 15. Frater tuus hic mortuus erat, & reuixit perierat, & inuentus eſt. Et ex peccatorũ cõuerſione ſequitur gaudiũ, & lætitia inenarrabilis in Cęlo: Nõ ſolũ in terra. *Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Lętamini in Domino; & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde: Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum; & circumdediſti me lętitia. Qui ſeminant in lacrymis: in gaudio metent*, ſed etiam in Cęlo *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pęnitentiam agente.*

¶ Diſcat, & hoc animarum Paſtor, vt ad exemplum ſummi, cæleſtisq; Paſtoris (*Ego ſum Paſtor bonus*) ſe conuertat ſuper ouem errantem, diligenter illam quærat, donec inueniat, ac in ouile aliarum ouim reponat. Et tunc vna cum omni ſua plebe lætabitur: dicendo: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.*

Oſten-

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam; & ſalutare tuum da nobis.

20 OStende nobis, &c.] Ideſt oſtende nobis brachia miſericordię tuæ: ſic clamabant Iudei indeſinenter, Verbum futurum poſtulando, quod etiam miſericordia vocatur, vt habetur in Pſalmo: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*. Eodem modo quia per Chriſtum ſalus noſtra facta eſt, ideò ſalutare Dei vocatur: Vnde, & Simeon recepto Chriſto: dixit: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Imò quia Chriſtus eſt miſericordia, & ſalutare Dei; ipſum frequenter Sancta Mater Eccleſia eius Sponſa pro ſalute fidelium poſtulat: dicendo: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, &c.* Ideſt; Chriſtum, per quem ſaluemur.

Ad hanc pijſſimā miſericordiam debent confugere pij, ac deuoti Sacerdotes, illamq; in medio templi ſuſcipere. Ideſt deuotiſſime miſſam celebrare, & humiliter Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, quo mediante æternam haurient ſalutem: qui manducat hunc panem viuet in æternum.

An-

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem suam.

21 IDest: cordis aure, placida mente; sentiam quid Spiritus Sancti vox in me loquatur, vt sciam quid acceptum sit illi omni tempore, vt ambulem iuxta vias eius, & custodiam mandata Dei; sic noster Seraphicus Sanctus Pater Franciscus faciebat, si itinerando cælestis numinis vocem audiebat, statim sistebat, quidue sibi loqueretur sollicitè attendebat, ac monita interna omni cum diligentia exequi satagebat. Et contra Tyrannos Reges, ac Præsides fidem Christi persequentes per os Apostolorum, ac Martirum Spiritus Sanctus alloquebatur. Vti Christus nobis testatus est dicens: *Dum steteritis ante Reges, & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini: sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, &c.* Et contra Diuinas inspirationes repellentes exclamat Propheta Dauid, dicens: *Hodie si vocem Domini audieritis nolite obdurare corda vestra.* Et Beatissimus Stephanus Prothomartir contra pertinaces durissimos, ac obstina-

ſtinatiſſimos Iudęos dicebat: Actor. 7. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Santo reſiſtitis ſicut Patres veſtri ita & vos*. Et Diuus Petrus Actor. 5. exclamauit contra Ananiã; dicens: *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* & paulo poſt: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Peccatum enim contra Spiritum Sanctum eſt adeò graue; vt pro irremiſſibile habeatur: *Qui autem peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* (Diuinis namq; inſpirationibus reſiſtere, & eas à ſe repellere, eſt peccatum in Spiritũ Sanctũ.)

Et è contra; Beati mundo corde; ipſi enim templum ſunt Spiritus Sancti. *An neſcitis* (ait Diuus Paulus) *Quia corpora veſtra templum ſunt spiritus Sancti?* Beati qui vocem cæleſtis Conſolatoris audiunt, & quicquid in ipſis loquatur attentiſſimè auſcultant, ac iuxta eius voluntatem operantur. Beati Epiſcopi, ac Sacerdotes, qui iuxta Sancti Spiritus afflatum ſuas regunt Eccleſias. Vt Apoſtolus Actor. 20. ait: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos* (Sacerdotes enim antiquitùs Epiſcopi vocabantur) *Regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo &c.*

[Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam] Inter alios fructus Spiritus Sancti

adeſt

adest etiam pax; Vti Apostolus ad Galatas. c.5. *Ait, fructus autem Spiritus est Caritas, gaudium, pax*. Felix illa plebs , Episcopatus, Parochia &c.In quibus Spiritus Sancti pax inuenitur ; omnes enim pacis Sectatores fiunt filij Dei charissimi; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur* . Sicut è contra Diaboli erunt filij , qui carent pace : omnium enim malorum caput est Diabolus. Et vbi non est pax, adest bellum; *Dissipa gentes, quæ bella volunt* . *Omne Regnum in se diuisum desolabitur*: Omnis Respublica Ducatus, Principatus, Ciuitas, Pagus, Domus, Familia &c.in se diuisa desolabitur. Sic desolatum fuit Regnum Saul , eo quod nunquam potuerit se in pace cum Dauid continere . Et è contra Dauid ob incredibilem eius pacem , ac patientiam, in Regno fuit confirmatus . Qui non solum cum suis Domesticis, ac familiaribus pacem habebat, sed etiam cum pacis hostibus inperturbatus, ac pacificus viuebat . Vnde in Psalmo 119. dicebat ; *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus* . In quo loco Hilarius ait ; Proprium est Prophetæ motus alienæ naturæ voluntatis suæ pace cohibere ; Hæc nos Patriarchis adequabit, hæc etiam eos, qui oderunt pacē per pacem obsequentes, in pace retinebit. Et sicut impossibile est sine fide placere Deo , ita, & sine pace nemo illi placere poterit.

Mi-

Mirum enim non eſt, ſi Deus tantopere pace delectatur; Naſcendo enim mediantibus Angelis, pacem hominibus bonæ voluntatis attulit; moriendo pacem Apoſtolis reliquit dicendo; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*: Reſurgendo itidem pacem Diſcipulis dedit. Lucæ. 24. *Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum ſuorum, & dixit eis; Pax vobis, &c.*

Et ſuper Sanctos ſuos; et in eos, qui conuertuntur ad cor.

22 ISte Verſus cum poſteriori parte antecedentis verſus conglutinatur, in quo de pace agitur. [Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam] Non ſolum Deus loquitur pacem in plebem ſuam; ſed etiam ſuper Sanctos ſuos, ideſt ſuper Sanctos Apoſtolos, quibus(vt ſupra diximus) dedit ſuam pacem. Et Sancti etiam in hac vita vocantur, ſiue vocabantur. Vnde cantat Eccleſia; Sancti mei, qui in carne poſiti, certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis. (& ſuper ſanctos ſuos) ideſt ſuper ſanctos Martires, qui pro fide, ac Chriſti nomine certamina habuerunt; pro Domino ſanguinem fuderunt, ſancti fuerunt, & nomen eius non polluerunt.

luerunt. Sancti mei, qui in carne positi &c. [Et super Sanctos suos] Id est: Sanctos Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prępositos, Archipræsbiteros, Pręsbiteros, Parochos, Rectores, Pastores, &c. qui saluti animarum incumbunt, & ambulant in Sanctitate, & Iustitia omnibus diebus vitæ ipsorum; qui posquam illacrymati fuerint, corpus pro Dei amore afflixerint, & Deum super omnia dilexerint, & in perfecta dilectione manserint; Tunc Deus gratiam sanctificantem super eos infundit, quam Theologi gratiam gratum facientem vocant. Et Sancti vocari possunt. Vnde Propheta Dauid dicebat; *Custodi me Domine, quoniam sanctus sum*; gratiam enim sanctificantem, miserante Deo, obtinuerat; sed quia timebat iterum illam amittere (Gratia enim adueniente mortali peccato, expellitur, adinuicem enim opponuntur) ideò anxiè orabat; *Custodi me Domine &c.* Et Ioannes in sua Apoc. ait; *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam*; Sic accidit Nicolao Antiocheno, & multis alijs, qui acceptam gratiam illam amiserunt, & nisi resipuerint, æternaliter perierunt. Sanctitas enim, siuè nomen sanctitatis in vita acquiritur, & post mortem datur; quando aliquis in Sanctorum Catalogum adscribitur.

Et

[Et ſuper Sanctos ſuos] Ideſt: ſuper omnes Sanctos Religioſos, Concionatores, Miſſionarios Apoſtolicos diuerſarum Religionum, qui in diuerſis mundi partibus in Spiritus Sancti virtute fidem prædicant; Hæreticos; Schiſmaticos; Turcas; Gentiles; Hæbreos pro viribus conuertere ſtudent, tabernacula, ac templa conſtruunt, violata purificant, Eccleſiaſticam ſupellectilem, ac ſacras Imagines reſtituunt, contra hoſtes fidei vſq; ad mortem certant: Certa pro fide, & agonizate pro iuſtitia: Hos omnes non ſanctos ſolum; ſed & Deos vocare poſſumus: *Ego dixi Dij eſtis*: Vnde Baſilius Sanctus: Quilibet Sanctorum per Spiritum Sanctum Deus eſt.

Deinde omnes ſupradicti (vt opinor) ratione dignitatis, ſiue officij nomen Sancti; Sanctiſſimi; ſiue Sanctitatis aquirunt: maximè Summi Pōtifices; Vti hodie (dū hæc ſcribo) Sanctiſſimus noſter Pontifex Alexander VII. vocatur: & puto quod talem obtinuerint dignitatem ex illo Diui Petri. 1. 2. *Vos autem genus electum regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus aquiſitionis.*

[Et in eos, qui conuertuntur ad cor] Ideſt: Deus loquitur pacem; ſiuè dat pacem nuper ex corde conuerſis (qui pacem ponit fines Eccleſię) In ſtatu enim peccati odio illos proſequebatur: Pſal. *Iniquos habui odio: & odium*

D *eſt*

est Deo impius, & impietas eius.

[Et in eos, qui conuertuntur ad cor] Ide ſt: dat pacē ipſis Infidelibus, gētilibus; Schiſmaticis; Turcis; Hæbreis, ac Hæreticis; qui poſtquā fidem agnouerint, & qui nondum baptizati, baptiſmum ſuſceperint, errores abiurauerint, veram fidem profeſſi fuerint &c. pacem cum Deo habebunt. Si tamen ex corde conuerſi fuerint; Deus enim intuetur cor, *Scrutans corda, & renes Deus*. Quidam enim mentitam oſtenderunt conuerſionem; & poſtquam ſaturati fuerunt, diuerſas à Chatolicis Eleemoſinas obtinuerunt, veluti Synones, ſiuè Simones magi mentiti fuerunt, ad priſtinos errores redierunt, peiores euaſerunt. *Inimici Domini mentiti ſunt ei*; Non ſunt tamen mentiti hominibus, ſed Deo. *Nolite errare, Deus non irridetur, quę enim ſeminauerit homo, hæc, & metet.*

Debent nihilominus prudentes Miſſionarij, ac omnes alij, qui animarum ſaluti incumbunt cauere, & non omni Spiritui credere, ſed cum Diuo Ioanne probare vtrum ex Deo ſit, an non, ne ſub ouina pelle, ac conuerſionis ſpecie à nebulonibus, & fidei hoſtibus, decipiantur, & per hæreticorum terras rideantur, ac ſubſannentur. Verum tamen eſt quod Dominus Deus ſubſannabit eos: *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.*

Verum

Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius vt inhabitet gloria in terra noſtra.

23 VEruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius] ſenſus verſus huius ex præcedenti hauritur, ſicut Deus loquitur pacem ſuper ſanctos ſuos, ita ſalutare ipſius eſt propè timentes eum, ſiue ſuper timentes eum: Sancti enim, & timentes eum pari paſſu ambulant : Vnde & Pſalmiſta dicebat : *Timete Dominum omnes Sancti eius ; quoniam non eſt inopia timentibus eum* : *Pſ.* 33. Et in alio loco : omnem terram ad timorem Dei hortatur dicens : *Timeat Dominum omnis terra.* *Pſ.* 32. Et in Pſalmo: *Beatus vir*, *qui timet Dominum. Pſ.* 111. *Et alibi ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore* : *Pſ.* 2. Et Ioannes in ſua Apocal. in diuerſis locis de hoc timore Dei facit mentionem. Timor Dei eſt initium ſapientiæ : Et timor, qui ex perfecta charitate oritur, & filialis vocatur, Timorem ſeruilem expellit : *Perfecta enim Charitas foras pellit timorem*, ſeruilem nempè. Et timor filialis manere facit Deum (qui etiam vocatur ſalutare. Quia, vt ſupra viderunt oculi mei

ſalutare tuum) propè hominem, & homo propè Deum. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. Pſ.144. Et Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Prou. 28.*

Moraliter Verum Sacerdotes propè timētes Deum ſalutare, ſiue auxilium ipſius, licet enim Deus non ſit acceptator perſonarum, & ſit propè omnibus timentibus, & inuocantibus eum in veritate: Speciale tamen ſuis miniſtris ſuum præſtat auxilium ſalutare; protectionem &c. De quibus ſpecialiter dictum eſt: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Quod & ipſi vice verſa debent fideliter agere, ac fideliter operari, & in omnibus, & per omnia, & ſuper omnia, honorem, ac Dei gloriam quærere. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Apoſtoli enim, ac homines Apoſtolici cæli vocantur.

[Vt inhabitet gloria in terra noſtra] in terra fluente lac, & mel, in terra noſtra: ideſt in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica: Vbi eſt enim verus cultus Dei, ibi gloria Domini manet: ſed in ſola Eccleſia Catholica eſt verus Dei cultus, ergo &c. Verus eſt enim Dei cultus principaliter conſiſtit in Sacrarum Miſſarum deuotione; reuerentia; perfecta celebratione, ac attentione; in aliorum Sacra-

cramentorum diligenti adminiſtratione, verbi Dei prædicatione; Doctrinæ Chriſtianæ inſtructione: Diuinorum officiorum, clara, deuota, ac attenta perſolutione: templorum; ſacrorum vaſorum; ac omnium paramentorum munditia, decore, nitore, ac ſplendore, &c. & tunc inhabitabit gloria in terra noſtra; in Eccleſia ſcilicet noſtra; ſicut habitabat in templo Salomonis, quando Iudei veram colebant religionem; Vt habetur Paral. 7. *Sed & omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper Domum*. Quid enim eſt iſta gloria, quæ tam benigne in Eccleſijs noſtris habitat? niſi ipſimet Dominus Rex gloriæ: Vnde Dauid dicebat: *Exurge gloria mea, &c. Pſ. 56.* Et in Pſalmo 3. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es: Gloria mea, & exaltans caput meum*. Et Sanctus Iob: *Spoliauit me gloria mea, Iob. 19.*

Eſt ergo iſta gloria, quę inhabitat in terra noſtra, in terra Catholicorum in Eccleſijs ipſorum, in tabernaculis illorum, in Sanctiſſima Euchariſtiæ Sacramento. Et manebit nobiſcum vſque ad finem mundi: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſumationem ſaculi.*

Vbi obſerua prudens, ac piè Sacerdos, quod Spiritus Sanctus dixit: (vt inhabitet gloria in terra noſtra) in Eccleſia ſcilicet Catholicorum; non autem in domibus, con-

ciliabulis, aut speluncis latronum Hæreticorum, qui veram fidem amiserunt, quàm plurima templa, ac Religiosorum vtriusq; sexus monasteria, claustra, siue conuentus destruxerunt, incenderunt altaria, ac sacra vasa polluerunt; sacris vestibus meretrices, & adulteras induerunt; sacris imaginibus oculos effoderunt; Crucifixi Immagines in Anglia patibulo suspenderunt; Sacratissimas Hostias, ac particulas pugionibus confoderunt; aliqua Sacramenta, excrementa nuncuparunt, despexerunt; turpissimas, ac nefandissimas Immagines contra Catholicorum cæremonias, ac antiquas traditiones, pinxerunt, & ante aliquos annos Tyguri in Eluetia typis mandarunt; libros execrandos, abominabiles, infernales, diabolicos; hęresibus blasphemijs, stultitijs, ac temeritatibus plenos; contra Deum; ac legem ipsius; ac sanctos; contra bonos mores; ac virtutes; contra Summos Pontifices; Cardinales, ac omnes alios Ecclesiasticos; pręcipuè verò contra Religiosos, maxime Iesuitas, ac Capuccinos; contra Cælibatum; ac Moniales scripserunt, dico, ac impresserunt.

Innumerabiles Concionatores, Missionarios, aliosq; Claustrales Dei cultum defendentes, in diuersis hæreticorum partibus, inauditis supplicijs interfecerunt. Quàm

plu-

plures Moniales deceperunt, sacrilego matrimonio se illis iunxerunt, resistentes interfecerunt, è claustris expulerunt, in exilium miserunt, bona Ecclesiastica dilapidauerunt, aliaq; inaudita, innumerabilia, horribilia mala fecerunt: ac continuè (si prosperè illis occurrit) faciunt, vel facere anxiè desiderant. Nec mirum est, postquam enim verum Dei cultum neglexerunt, ac ipsius gloriam abegerunt, tenebras induerunt sub potestate principis tenebrarum se subiecerunt, ac in tot mala impegerunt. Quibus miserijs, malisq; perspectis debent boni Catholici, ac pij Sacerdotes pio affectu perditissimam supradictam gentem precibus Deo commendare, ac vna cum Sanctissima Virgine Theresia tantis hereticorum, ac Infidelium tenebris lacrymari; sine intermissione orare, donec lux fidei ipsis oriatur, ac in terris ipsorum Gloria Domini restituatur, &c.

Misericordia, et veritas obuiauerunt sibi: iustitia, et pax osculate sunt.

24 IN hoc sacro versiculo agitur de misericordia Dei, & veritate, Iustitia, & pa-

 cei

ce; illæ obuiam sibi venerunt, istæ ad inuicem sunt osculatæ. Misericordia, & Iustitia à Theologis inter alia attributa Diuina numerantur, quę ratione (vt supra diximus) ad inuicem distinguntur: sed identificantur cũ essentia Diuina. Et veritas quid aliud est nisi ipsemet Deus? Qui Ioannes 14. ait: *Ego sum via, veritas, & vita*: Idem de pace asserendum est. Vnde Augustinus tract. 77. in Ioannem ait: Quid est, quod reliquit nobis, cum ascendit à nobis? nisi seipsum; ipse enim est pax nostra, & ideo dixit discipulis suis (vt supra diximus) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Et Philosophus ait: illa, quæ conueniunt in eadem deffinitione sunt eiusdem essentiæ, ergo Deus, & pax sunt idem.

[Misericordia, & veritas] sunt veluti cursores, & equites, que faciem Domini nostri Iesu Christi præcedunt: Misericordia, & veritas pręcedent faciem tuam, & ad inuicem separari non possunt, & semper erant in ore eius: Vnde dicebat: *Misericordiam volo, & non sacrificium*: Et de veritatę: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Vide apud Incognitum super hunc locum perdoctum, iucundumq; tractatum: Iustitia, & pax ad inuicem sunt osculatæ; vnitæ sunt, inseparabilem concordiam inierunt, & non sine cau-

ſa,quælibet enim illarum,de ore Chriſti proceſſit: quando dixit: *Non eſt Regnum Dei cibus, & potus ſed iuſtitia,& pax.*

Moraliter [Miſericordia, & Veritas, Iuſtitia, & pax] debent ſemper eſſe in omnium fidelium mente, corde, & ore: præcipuè verò Concionatorum, animarumq; Paſtorum. Illi in verbo Dei enunciando, peccatoribus ſalutem propinando, miſericordiam, ſi reſipiſcant, promittendo. Mendacibus viam veritatis oſtendendo: *Deus enim perdet omnes, qui loquuntur mendacium Pſal. 5. viam veritatis elegi*: Iniuſtis Iudicibus iuſtitiam demonſtrando: *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis orbem*, ac diſſidentes ad pacem reuocando: *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.*

Iſti (Paſtores ſcilicet animarum) debent contritis,ac pænitentibus peccatoribus viſcera miſericordiæ aperire: ſuper confitentium peccata nullum admirationis ſignum oſtendere, nec illos ante peractam confeſſionem corripere: cum ſanctis Patribus peccata illorum deflere (Veritas) diſcernendo ſcilicet inter lepram,& lepram, peccatum, & peccatum, ſpeciem, & ſpeciem: circumſtantiam, & circumſtantiam aggrauantem,aut ſpeciem mutantem: Inter locum, & locum: perſonam, & perſonam intelligere caſus reſeruatos,excommunicationes, &c. irregularitates.

Iuſti-

(Iustitia) pro humana fragilitate iustè iudicando pænitentiam misericorditer imponendo; Vinum Iustitiæ cum oleo misericordiæ contemperando: semper reminiscendo, quod Deus iustus Iudex hominum iustitias, siue sententias iudicabit. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Psal. 74.*

(Pax) Animabus pro peccatis afflictis, ac tribulatis pacem inter Deum, & ipsas relinquere. Concionatores enim, ac animarum Pastores debent esse inter Deum, & homines mediatores; &c.

Veritas de terra orta est; & iustitia de Cœlo prospexit.

25 SVper quem locum Augustinus: Tom. 10. in Sermone. 16. de tempore; qui est 12. in Natale Domini: [Veritas &c.] Nam cum ille de terra ortus est; hoc est; de carne natus, qui de Cęlo venit super omnes est; procul dubio cum ascendit ad Patrem etiam iustitia de cælo prospexit. Hanc enim iustitiam verbis suis ipse commendat in promittendo Spiritum Sanctum: Ipse (inquit) *Arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me;*

me; de iustititia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: Hæc est iustitia, quæ de cęlo prospexit: *à summo cęlo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius.*

[Veritas &c.] scilicet Iesus Christus, qui est (vt supra) via, veritas, & vita, de Maria, de terra nempe immaculata natus est propter nostram salutem: Qui propter nos homines,& propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,& homo factus est; & propter salutem animarum nostrarum, quando dixit: Hoc est corpus meum, panis in carnem, & sanguinem transubstantiatus est: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus*, & sub manibus, siue potestate Sacerdotum se tradidit. Vnde Seraphicus Sanctus Pater Franciscus in suo testamento ait: Nihil aliud video corporaliter ipsius altissimi Filij Dei in hoc sæculo, nisi Sanctissimum Corpus, & Sanguinem ipsius,quod ipsi consacrant, ac recipiunt, ac ipsi soli cæteris administrant. O magnum,& admirabile Sacramentum; ò Sacrum conuiuium; ò magna Sacerdotum dignitas; quæ omnem dicendi modum superat; Debent tamen Sacerdotes semper cauere,& considerare attentè,quod [Iustitia de Cęlo prospexit] Idest,iustus Iudex; *Deus Iudex iustus*: de cælo prospexit, ac semper

prospicit: respexit, ac semper respicit: De cælo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum; vidit si est intelligens, aut requirens Deum; Intuetur namq; quomodo Ecclesia sua, à Pastoribus gubernetur; quomodo ignari instruantur, quomodo Sacramenta administrentur, quomodo recipiantur dignè an indignè: *Quicumq; enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis, & Sanguinis Domini*: Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

26 HOc dixit Propheta Dauid nomine Sinagogæ, quando Messiam, siuè Christum expectabat; & ideò in futuro dixit: dabit; Proprium est enim Prophetarum loqui de rebus preteritis, præsentibus, & futuris; & quod tunc temporis de futuro siue Christo venturo loqutus est; & dixit; dabit; modo si viueret, procul dubio diceret (dedit benignitatem) vt bene ait Apostolus; Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri*

Dei, non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Et Ioelis. 2. & 3. *Quia benignus, & Misericors est, & prestabilis super omnem malitiam. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matt. 11.*

[Et terra nostra dabit fructum suum) Idest; Ecclesia nostra, quæ Sinagogæ successit; ab humanitate, & benignitate, instructione; prædicatione; oratione; flagellatione; coronatione; Crucis baiulatione; Crucifixione; morte; sepultura; Resurrectione, Ascensione Domini nostri Iesu Christi, & à Spiritus Sancti missione; Apostolorum, Discipulorum, ac Missionariorum prædicatione: sanguinis innumerabilium Martyrum effusione: Doctorum, ac Prædicatorum instructione, &c. Illustrata, fæcundata, irrigata, protecta, ac munita, dat inquam, & vsq; ad finem sæculi dabit fructum suum: Fidei namque dilatationem, gentium conuersionem, gentilitatum, ac hæresum extirpationem; Tyrannorum peremptionem; Idolorum subuersionem, templorum, tabernaculorum, ac Altarium constructionem, Religionum diuersarum vtriusq; sexus, Religiosorum fundationem, Sacramentorum frequentationem, miraculorum operationem, exempla, ac virtutes tot millium Sanctorum Martyrum, Confessorum, ac Sanctarum Virginum: Fructus

ergo

ergò mirabiles terra nostra dedit. Et fructū suum dabit in tempore suo. Discant etiam ex hac occasione deuoti Episcopi, Concionatores, ac animarum pastores ad exemplum summi Parentis dare benignitatem; nempè benignos omnibus se præbere; quod facilè præstiterint, si Deo auxiliante (à quo bona cuncta procedunt) benignitatem in se habuerint; ac iuxta Diui Pauli monita ambulauerint; qui ait: *Oportet enim Episcopum sinè crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum sed hospitalem, benignum &c. Tit. 1.* Maligni enim, idest, qui in se non habent benignitatem, sed malignitatem exterminabuntur: *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur*; Benigni enim, & mansueti vitam aquirent æternam: *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*: Et cum ista Sancta consideratione: spe, scilicet, salutis æternæ [Terra nostra dabit fructum suum] Terra nostra (vt Emenentissimus Vgo tenet) scilicet terra corporis nostri; Terra liberi arbitrij (dabit fructum suum voluntariè, scilicet pænitentiæ Luc. 3. *Facite fructus dignos pænitentiæ: & nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur; Matt. 3.* & qui facit pœnitentiam dabit bonum fructum: *Et fructū suum dabit in tempore suo.* Iu-

Iuſtitia ante eum ambulabit ; et ponet in via greſsus ſuos.

27 IVſtitia eſt ipſius Dei indiſsolubilis comes; *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*; Iuſtitia eſt Dei vexillum, aut ſignifer, qui illum præcedit: *Iuſtitia ante eum ambulabit* : Iuſtitia, eſt ipſius veſtimentum; *Induit pro thorace iuſtitiam*; ipſius arma: *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius*; ipſius Sacrificium: *Sacrificate Sacrificium iuſtitiæ*; ipſius dilecta ſponſa: *Et iuſtitias dilexit.* Et mirum non eſt, ipſe enim eſt Iudex Cęli, & teeræ: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra*; futuri iudicij conſtitutus Iudex: *Cum venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuę &c.* & Ioannes. *Omne iudicium dedit Filio*: (Et ponet in via greſsus ſuos) Poſtquam enim à regalibus ſedibus venit, in hoc mundo viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & p ſalute humani generis Viator factus eſt: [& poſuit in via greſſus ſuos] Veſtigia ſcilicet pedum ſanctorum ſuorum, quibus circuibat ciuitates, vicos, & Caſtella: vbiq; verbum Dei diſſeminabat, pauperibus euangelizabat, mortuos ſuſcitabat, leproſos mūdabat: Demones eijciebat, cæcos illuminabat:

pa-

paraliticos curabat mutos, ac surdos sanabat: esurientes satiabat: semper actualiter, aut habitualiter orabat: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.*

Hanc ergo Diuinam iustitiam debent omnes homines ante oculos habere, vt dilectam Filij Dei Sponsam summo studio diligere, specialiter tamen Iudices tam Ecclesiastici, quam sæculares, quibus specialiter dictum est: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram Sap. 1.* Deinde cum Psalmista dicere: *Feci iudicium, & iustitiam non tradas me calumniantibus me*: Simili modo debent facere omnes alij Ecclesię Catholicæ Prælati, Missionarij, Concionatores, animarum Pastores, fidei defensores, quibus specialiter dictum est: *Certa pro fide, & agonizare pro iustitia. Sap. 33. Stabunt Iusti in magna constantia, &c. Lætabitur iustus in* Domino, *& sperabit in eo: Iustus vt palma* florebit: *Iustus germinabit sicut lilium:* Gaudete *Iusti in* Domino, *rectos*; idest: Iustos decet collaudatio; *Et lætamini in* Domino, *& exultate Iusti*, & *gloriamini omnes recti corde*; Insuper & Deus nunquam homines iustos derelinquit: *Et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*; Et è cōtra; *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.*

[Et ponet in via gressus suos] Postquam homo pro thorace iustitiam induerit: Iustificatus, vel ex iniusto iustus factus fuerit: sicut

cut ex frigido calidus: Tunc fiducialiter, siuè filialiter operari cæperit, timore seruili expulso: dicere poterit: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia Psal.* 118. Et pro certo sciat, quod Dominus Deus gressus nostros numerat: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*, Et assidue debet Dominum rogare, vt in suo Sancto nomine gressus suos dirigat: Prouer. 3. *In omnibus vijs cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.*

CAP. III.

PSALMVS 84.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops, et pauper sum ego.

28 Hic pius Sacerdos summum Sacerdotem Dominum nostrum Iesum Christum siue summam deprecatur Maiestatem, vt aures cordis sui precibus suis porrigat, dum Sacra facit, laudes Diuinas persoluit, contemplationibus, ac orationibus vacat; dignetur illum de Cęlo sancto suo exaudire, ab hostibus tam visibilibus, quam inuisibili-

bus liberare, obstinatos Parochianos ad obedientiam reducere, oues scabie infectas purgare; hęreses vbi grassantur extirpare; superstitiones, diabolicosq; errores eradicare, genua debilia roborare; infirmos curare, ab insidijs diaboli agonizantes desẽdere &c. [Quoniam inops, & pauper sum ego] Idest; quoniam nullius sum valoris, seruus omnino inutilis: agnosco meam inopiam; spiritus paupertatem; virium debilitatem, corporis imbecillitatem, & ideò ad tuam recurro bonitatem, auxilium, & Charitatem; fateor quod sine te nihil possum facere; *Sine me nihil potestis facere: & quod omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est*; & Maiestas tua superbis resistit, humilibus autem dat gratiam Iac. 1. Ideò humiliatus sum vsquequaq; Domine; fateor esse inopem, & pauperem: sed tu Domine viuifica me, exaudi me.

Custodi me Domine quoniam sanctus sum; saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

29 PReter ea, quæ versiculo 22. Diximus, hic breuiter addam: quod licet omnes maximo cũ timore debeãt seruire Dño:

Ser-

Seruite Domino in timore Pſ.25. Timeat eum omne ſemen Iſrael,& alibi: timeat Dominum omnis terra .32. ſpecialiter tamen Sanctis Sacerdotibus,ac omnibus alijs,qui gratiam ſanctificantem miſericorditer obtinuerunt (& Sancti appellari poſſunt) dictum eſt: *Timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum*: Ratio eſt,primò; quia cui multum datum eſt,multum requiretur ab eo: & vt ait Gregorius Sanctus. Hom.9.in Euangelia cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tantò ergò eſſe humilior,atq;ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet ex munere,quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione &c.ſecundò; quia licet aliquis ad maximam contemplationem,& Sanctitatem deuenerit, niſi immaculatè,feruenter,humiliter vixerit, à Deo, humiliabitur) *Cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus; Hier.* 49.licèt Deus non rarò ad probandos,& magis ſuos ſeruos purificandos relinquat in Spirituali ſiccitate,dum carent affluentijs Diuinis,cæleſtibus nempè conſolationibus,quinimò maximis affliguntur tentationibus; internis cruciatibus; perturbationibus; anguſtijs,pęnis infernalibus, à diuerſis Sanctis cōparatis: ſic accidit Diuo noſtro Patri Franciſco,Sanctiſſimæ Virgini Thereſiæ, ac mul-

tis alijs Deo valdè acceptis, in gratia cõstitutis: *Et quia acceptus eras* (dixit Raphael Tobię) *Deo necesse fuit, vt tentatio probaret te, & multę tribulationes iustorum &c. Per multas tribulationes oportet nos introire, &c.* Tertiò quia si isti perfecti homines, qui dona Dei gustauerunt, diabolicis suggestionibus cedunt, Deo terga vertunt, Diabolo inseruiunt; impossibile tenet Apostolus, vt iterum conuertantur, & ad pristinos virtutum gradus restituantur: Vnde ait: *impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti; gustauerunt nilominus bonum* Dei *verbum, virtutes sęculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam, &c.* Imo isti, vt plurimum fiunt omnibus hominibus peiores: Coruptio enim optimi pessima, &c.

Non tamen negandum est (salua semper fide) quod ille Omnipotens Deus, *Qui extrabit mel de petra, oleumq; de saxo durissimo, & potest, tam ea, quæ sunt, quam ea, quę non sunt; & potest de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, & non est, qui possit voluntati eius resistere*: possit inquam illos lapsus (alias Sanctos) ad pænitentiam reuocare, & ad pristinam, & intensiorem Sanctitatem reducere; sicut fecit cum Dauid, Petro, Thoma &c. Tamen: *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis*: Et incessanter perse-

ue-

uerantia postulanda est: hæc est tutior via; *Nam qui perseuerauerit vsq; ad finem hic saluus erit.*

[Saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te, &c. Putabat enim Rex Dauid proprijs viribus posse in Dei seruitio perseuerare. Vnde dicebat: *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum*; sed postquam miserabiliter lapsus est, fragilitatem suam fassus est; peccaui Domino; Tunc posuit in Domino Deo spem suam: & dixit; *Saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.* Deus enim saluat eos, qui sperant in illum: *Qui saluos facis sperantes in te. Sperate in eo omnis congregatio &c. & Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum.* Debent ergò omnes pij, ac deuoti Sacerdotes in omnibus laboribus negocijs, ac persecutionibus, quas pro Dei honore patiuntur ponere in Domino Deo omnem spem; *spera in Deo, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius;* Ipse enim protegit, & liberat eos, qui sperant in eo;

Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, &c.

Psal. 90.

Miserere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die; lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

30 VEniam hic precatur erratorum, siuè venialium peccatorum perfectus Sacerdos, ac quilibet Dei amicus, qui pro viribus perfectioni incumbit; qui dum ex effectibus, aut per reuelationem in seipso gratiam agnouit sanctificantem, & quia tamen non potest ob humanam fragilitatem tàm cautè viuere, præsertim si curam animarum, aut alia negotia (licet vtilia, ac necessaria) peragenda prę manibus habeat, vt à venialibus se indemnem custodiat, quod multoties, siuè aliquoties non labatur in die. *Septies in die cadit iustus; si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est: Quis est enim homo, qui viuit, et non peccet? Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me Domine. Psal.* 50.

Quæ omnia de peccatis venialibus intelligenda sunt: mortalia enim facilius dignoscuntur, ac euitantur &c. Et quia tota die labi-

tur humana fragilitas : lapſus tota die veniã precatur ; dicendo ; (Miſerere mei Domine &c.) quia licet peccata venialia non expellant gratiam ; Diuinam tamen impediunt affluentiam ; Et vir perfectus qualis debet eſſe ſacerdos ſiuè contemplatiuus , dum videt ſe in puris naturalibus abſq; interna Spiritus Sancti conſolatione ſummopere triſtatur, ac ſuſpicatur, ne forſitan ſit in Dei indignatione conſtitutus. Et ideò miſericordiam poſtulat, priſtinamq; precatur lætitiam [Lætifica animam ſerui tui] Hanc cæleſtem doctrinam peroptimè ſciebat Sanctus Pater Franciſcus: ſuosq; Religioſos docebat, vt in animæ ariditate, ſolitudine ſpiritus, & afflictione &c. hanc cæleſtem peterent lętitiam dicendo ; *Redde mihi lętitiam ſalutaris tui, et ſpiritu principali confirma me. Pſal. 50.* Et quia contemplatiuus cognoſcit huius cęleſtis priuationis cauſam fuiſſe peccata venialia (quantum fieri poteſt euitanda) ac negocia ſęcularia ; Ideo ſtatuit pro viribus hæc omnia euitare , ab huius mundi curis, aut negocijs ſæcularibus animã leuare, ac ſe Deo fortiter coniungere; & ideò adiunxit (Quoniam ad te Domine animam meam leuaui.) Et Paulus Apoſtolus ait ; *Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit 2. Tim. 2.*

Quoniam tu Domine *suauis, & mitis; & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.*

31 IN superiori versiculo petebat Sacerdos lætificationem, siuè consolationem, aut Diuinam affluentiam, quod idem est ac suauitatem petere pro anima; petitione facta in præsenti versiculo subiunxit [quoniam tu Dominè suauis] Dominus enim est suauis: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus; Psal. 33.* Et alibi *Suauis Dominus vniuersis;* Suauia ipsius eloquia: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.*

Licet aliquando amicis Dei, ac fidelissimis eius seruis (recta tamen intentione) cælestes, siuè Diuinas petere consolationes; specialiter tamen ad euitandas mundi vanitates, in quibus mundi amatores nutriuntur, delectãtur, ac in ipsis solis consolantur: *Sed veh vobis* (vt supra diximus) *Qui habetis consolationes vestras; veh vobis qui saturati estis: &c.* Veh nobis Religiosis, si retro respexerimus, & ad carnes Ægypti redierimus, si regnum Dei non possidebimus; *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*

Luc.9. Veh Sacerdotibus(habita reuerentia) qui delectãtur conuiuijs, pecunijs, ac thesauris,aut alijs vanitatibus: Hi , inquam,non habebunt hæreditatem in regno filij Dei ; qui fuit in hoc mundo pauper in laboribus , ac erumnijs : *Pauper sum ego: & in laboribus à iuuentute mea* . Et qui fruuntur huius sæculi vanitate,nec in hoc sæculo , nec in futuro fruentur cælesti , aut Diuina suauitate : Nec inuenient Dominum mitem (*Discite à me qui mitis sum*) sed terribilem , & formidabilem contra eos , qui potiùs Mammonæ , quam illi seruierunt. *Tu terribilis es , & quis resistet tibi ? qui respicit terram, & facit eam tremere ; qui tangit montes, & fumigabunt* : Melius est ergo seruire illi soli , & ipse liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum &c.

[Et multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te] Hic discant animarum Pastores cum peccatoribus facere misericordiam , sicut , & Deus ipsis miseretur ; *Dimittite , & dimittetur vobis* : Petro enim suggerenti quoties deberet dimittere fratri suo in se peccanti vsq; septies respondit,non dico tibi vsque septies ; sed vsque septuagies septies. Volens hoc numero definitò indefinitum ostendere ; *Misericordiam volo, & non Sacrificium* . *Et miserationes eius super omnia opera eius*

Auribus

Auribus percipe orationem meam; et intende voci deprecationis meæ.

32 (AVribus &c.] Hoc autem non ita pueriliter intelligendum est multò minus hæreticorum more interpretandum, quod Deus, qui creauit omnia, & replet vniuersa : *Cęlum, & terram ego impleo dicit Dominus* : aliquando non audiat, aut non videat : *Qui planctauit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ?* Quasi dicat : absit omninò à catholicorum corde hæc perditissimi, ac nefarij Marcionis stultitia, hæresisq; pestilentialis.

2 Sano ergo modo tenendum est: Vt Sacerdos fiducialiter, ac humiliter ad Deum accedat, ac roget, vt aures cordis pręcibus suis accomodet, porrigat, & intendat, non solum pro suis necessitatibus, sed etiam pro populi, pro quibus debet hostias offerre: iuxta Diui Pauli doctrinam : Hebreorum 7. *Quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre: deinde pro populi*: & si aliquando Deus fingit se non audire : sicut Propheta dolebat, quando dicebat : *Clamabo, & non exaudies : quousq; irasceris*

ceris super orationem serui tui? Et alibi: *Exurge, quare obdormis Domine*: hoc inquam ob nostrā vtilitatem facit; difert enim aliquando, eo quòd nostris delectatur obsecrationibus, & maiores vult conferre gratias, quàm nos petimus: aliquando nobis non conuenit, quod petimus, sed potius tentatio, & tribulatio expedit: Nec Diuus Paulus fuit exauditus; illa tamen cælestia, aurea, Diuinaq; verba audiuit: nempe: *Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur.* Scit enim Pater noster Cælestis, quid nobis sit necessarium, antequā petamus: Vult tamen, vt ad orationem accedamus, & puro corde oremus: *oportet semper orare, & nunquam deficere; petite, & accipietis, quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis, &* Diuus Paulus: *Orate sine intermissione, &c.*

In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me.

33 Licet Deus sit vbiq; præsens per essentiam, presentiam, & potentiam; propinquior est tamen tribulatis, metuentibus eum, & inuocantibus eum in veritate: *Cum ipso sum in tribulatione*, & suum præstabit auxilium: *Eripiam eum*: & suo tēpore glorificabit, *Et glorificabo eum*. Et quia Episcopi, Parochi,

Confessarij, Missionarij, Concionatores, omnesq; Ecclesiæ Rectores, qui cum omni zelo, pietate, iustitia, & charitate, legum, ac traditionum obseruantia suo funguntur officio, & ambulant coram Deo corde perfecto, ab Atheistis, homicidis, adulteris, fornicarijs, blasphemis, ebriosis, Istrionibus &c. despiciuntur, ac infestantur: sicut fuit Diuus Carolus meritissimus Ecclesię Mediolanẽsis Cardinalis, & Archiepiscopus; & omnes alij, qui volunt piè viuere in Christo Iesu persecutiones patiuntur: *Et ambulans* (vt supra diximus) *Recto itinere, ac timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. Prou. 14. Multę tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus*: Ideò amici Dei non debent ob persecutionũ metum à suo Sancto proposito desistere, aut minis impiorum cedere: omnipotens enim Deus erit illorum scutum, defensorq; indefessus, & dixit Discipulis suis: *Confidite, ego vici mundum, Amen dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui vos persecuntur: Non est discipulus super magistrum: si me persecuti sunt, & vos persequentur: Beati, qui persecutiones patiuntur propter iustitiam &c.* quotiescunq; enim tribulatus, ac pro Dei amore afflictus respirat, toties Deo sacrificium offert: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c.*

Non est similis tui in Dijs *Domine*, *&* *non est secundum opera tua.*

34 TRiplici modo inquiunt Theologi potest dici Deus: scilicet; propriè; adoptiuè; nuncupatiuè, vel abusiuè. Propriè est de fide; quod vnicus est Deus Creator Cęli, & terrę; visibilium, & inuisibilium: *Quoniam magnus es tu*, *& faciens mirabilia tu es Deus solus*: & alibi; *Videte quoniam ego sum solus*, *& non est alius pręter me*: *Ego occidam*, *& ego viuere faciam*, *percutiam*, *et ego sanabo*: Adoptiuè: Sicuti Moyses, qui ab ipso Deo vocatus fuit Deus Pharaonis: Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: Simili modo vocantur Dij omnes amici Dei perfecti per inhabitantem Spiritus Sancti gratiam: *Ego dixi Dij estis*, *et filij excelsi omnes*. *Deus stetit in Sinagoga deorum*; Quilibet enim sanctorum per Spiritum Sanctum Deus est.

35. Nuncupatiuè, vel abusiuè: & tali nomine vocantur, siuè vocabantur inania Gentilium simulacra, siuè nefarij Demones, qui in ipsis respondebant, ac miserimos populos decipiebant: *Quoniam omnes dij gentium Dęmonia*. Non sunt ergo similes Deo homines, quamuis sint sancti, & perfecti Dijque appel-

lentur multò minus abominabiles, ac mendaces Demones ; Maneat ergo, quod non est similis tui in Dijs Domine ; Non est similis tui in altitudine. Tu solus Altissimus : non est similis tui in sanctitate ; quoniam tu solus sanctus ; Non est similis tui in bonitate ; *Bonus es tu*, per quem omnia sunt bona : Non est similis tui in sapientia : *Omnis sapientia à Domino Deo est* : Non est similis tui in scientia ; *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est* ; Non est similis tui in potentia; *Tua est potentia : & non est qui possit voluntati tuę resistere* : Non est similis tui in charitate ; *Deus charitas est* : Non est similis tui in obedientia ; *Factus obediens vsq; ad mortem* : Non est similis tui in paupertate : *Pauper sum ego* : Non est similis tui in castitate ; *Sint lumbi vestri pręcincti* : Non est similis tui in humilitate ; *Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde* ; Non est similis tui in potestate : *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra* ; Non est similis tui in doctrina : *Nunquam sic homo locutus est, sicut homo iste* ; Non est similis tui in gloria : *Gloria, et diuitię in Domo eius* : Non est similis tui in longanimitate ; *Longanimis, et multum misericors* ; Non est similis tui in miserendo ; *Misericordiam volo, et non sacrificium* ; Non est similis tui in operando; *Si non fecissem opera, quæ nemo alius fecit etc.* Non est similis tui in patiendo,

do : *Desiderio, desideraui*; Non est similis tui in magnitudine : *Magnus Dominus etc.* Non est similis tui in nomine : *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*: Non est similis tui in pulchritudine : *Speciosus forma præ filijs hominum*. Sic discurre de innumerabilibus, ac inenarrabilibus, præclarissimis, ac præstantissimis Domini Dei nostri virtutibus, signis, ac prodigijs. Sufficit nobis, quod Dominus virtutum vocetur.

Sed quęres; quid ergò voluit inferre Ioannes Euangelista Sanctus, quando dixit : *Cum apparuerit, similes ei erimus*: 1. Ioan. 3. breuitatis gratia vide Incognitum super hunc locum in præsenti versiculo. Videns ergò Sacerdos Dei minister, diligēterq; perpēdens, quod fuit, e Demonis potestate erutus, Deiq; cultui dicatus, & cognoscens talem Deum, qui similem non habet sibi neq. in Cælo, neque in terra, neque sub terra, summopere debet gaudere, ac immensas illi gratias agere, ac seipsum ad omne opus bonum excitare, omni cum attentione laudes Diuinas persoluere, deuotissime sacrum facere, prædicare, Sacramenta administrare, Ecclesiam, paramenta Ecclesiastica, corporalia, Purificatoria, Mappas, siuè tobaleas, calices, Thuribula, cādelabra, &c. omnia, inquam, mundissima tenere : Scriptum est enim : *Maledictus homo,*

mo, qui facit opus Dei negligenter. Nec ſunt excuſandi, ſed potius arguendi (habita reuerentia bonis, ac pijs) Eccleſiarum Pręſules, qui pulcriorem, nitidiorem, pretioſiorem habent corporis ſupellectilem, ſiuè domeſticam, quàm Eccleſiaſticam: In menſa corporalis refectionis (maxime coram aduenis) candidiſſimas ſolent ponere mappas, ac mappulas; at ſuper Sacri Altaris menſam, corroſas maculatas, ineptas: in ſuis peris pulcherrima deferunt ſtrophiola, Purificatoria vero, ac corporalia immunda, viliſſima, ac miſerima; habent arcas lintiaminibus; ac veſtimentis plenas, ad miſerandum Sacrarium ferè paramentis vacuum, puluere, ác aranearum telis plenum. Et contra huiuſmodi negligentes Deus grauiter conqueritur per ſuum Prophetam Malachiam: dicens: *Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum; ſi ergò Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi timor meus?*

Debent ergò Eminentiſſimi Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, ac Viſitatores ſummopere inuigilare, vt illorum ſubditi magna cum reuerentia, ac diligentia ſuppellectilem teneant Eccleſiaſticam; diligenter omnia viſitare; ac perluſtrare: ac videre, an ſuper altaria ſint mappæ, ſiue tobaleæ à rubricis deſ-

deſcriptę,& aliquod corporalium, ac purificatorium numerum deſignare, vt ſaltem quilibet Sacerdos duodecim habeat corporalia,ac tot purificatoria, quot ſunt hæbdomadæ in anno, cum menſuris ipſorum : & ſuper omnia inuigilare, vt Purificatoria non ſint tam fracida,ac vetera,vt fila, ſiue pilum relinquant in abſtergendo calicem,&c.

Inſuper videre ipſammet templi machinam;an indigeat noua conſtructione,reſtauratione,dealbatione(vt ita dicam) tam intùs, quàm foris : & illuc mittere concionatores feruentiores, qui concionem de templi ædificatione habeant, ac difficultates occurrentes diluant. Ac in altioribus templis turres ligneas mobiles erigere; vt ſtatutis diebus aliquis aſcendat, pulueremq; excutiat. Tandem ſæpiſſimè recordentur omnes; quod non eſt ſimilis tui in Dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua; opera enim noſtra reſpectu operum Dei, opera ſunt formicarum : & cùm fecerimus omnia, quæ nobis poſſibilia ſunt; ex corde fateri debemus, quod ſerui inutiles ſumus; nam quod debuimus facere, non fecimus.

Omnes gentes, quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.

35 IDest: omnes totius orbis terrarum nationes, quas per propagationem nostrorũ Parentum Adæ, & Euæ fecisti (ipse fecit nos, & non ipsi nos) Perspecta Missionariorũ, Parochorum, Sacerdotum, Religiosorum sanctitate; Templorum, paramentorum nitore, ac prætiositate, Catholicorum pace, ac vnitate laudes Diuinas canentium, suauitate, vniformitate, assiduitate, cælibatu, ac castitate; mendicantium voluntaria paupertate, &c. Spiritus Sancti gratia operante, vix possunt secùs facere, quàm ad nos venire, Catholicam, Apostolicamq; Religionem suscipere, summum Pontificem legitimè ingressum, vt Christi Vicarium, agnoscere: Igitur venient; & maxime mundi pars iam venit, fidem Catholicam libentissimè suscepit, ac suo tempore reliquæ nationes, Deo auxiliante, venient, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor Deo sint laudes. Nam Missionariis

rijs iam iam ferè per omnes mundi partes diſperſis, ac ſalutis Infidelium, ſiuè Gentilū, Turcarum, Hebręorum, Schiſmaticorum, Hæreticorum Incumbunt; Catholicos confirmant, ac inſtruunt, ac plures illorum pro Chriſti amore, ac animarum ſalute ſanguinem fuderunt. Et peſſimè ſe gerunt, qui Miſſionarios Apoſtolicos perſequuntur, è locis ipſis deputatis expellunt, opera illorum bona, ac ſancta malignātur; *Quoniam qui malignantur exterminabuntur. Pſal. 36.* Si enim Miſſionarij nunquam ad nos veniſſent; nullus noſtrûm in his partibus catholicus factus fuiſſet, quia de Ieſu Chriſto nullam perfectā cognitionem habuiſſet.

Ad exemplum Miſſionariorum debent etiam docti, prudentes, ac deuoti animarum Paſtores videre in curis, aut ipſorum Parochijs an ſint Religionis noſtræ aduerſarij, vt ſunt perditiſſimi, ac nefarij Hæretici, Schiſmatici, Hæbrei, Infideles, Atheiſtę, &c. & contra illos audacter ſurgere, diſputare, errores confutare, veritatem fidei demonſtrare, ad fidem conuertere, ac illos in Catholicorū templum perducere, cum illis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adorare, ac ſi eſſent in Patria Cęleſti venerari, ac nomen Dei glorificare: *Et adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

36 AVditis Iethro mirabilibus, quæ operatus fuerat Dominus per Moyſen, & Aron: Eleuauit vocem ſuam; dicens: *Nunc cognoui; quia magnus Dominus ſuper omnes Deos:* & omnes ſcripturæ, omnes Prophetæ, omnes Sancti Doctores; omnes Serui Dei hanc ſummam fatentur veritatem: Inſuper ipſimet Gentiles videntes mirabilia, quæ Deus per Sanctos Fauſtinum, & Iouitam, ac alios innumerabiles Martyres operabatur; magna voce clamabant, & dicebant: verè magnus eſt Deus Chriſtianorum (Tu es Deus ſolus) vti ſupra monſtratum eſt: & eſt de fide; *Videte quoniam ego ſum ſolus, & non eſt alius præter me: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma:* Et ipſamet natura docet, quod vnicus ſit Deus, qui creauit, & regit vniuerſa; Vnicus Chriſti Vicarius Eccleſiæ Caput; Vnicus Rex in regno, vnicus Paterſamilias in ſua familia.

Hinc Miniſtri Dei ſummam debent trahere lætitiam, videntes ſe eſſe tam magno Deo conſecratos, ipſius cultui dicatos: *Quis magnus Deus ſicut Deus noſter? Tu es Deus, qui*

facis

facis mirabilia ſolus. Pſal. 75. Inſuper debent veri amici Dei attentè inuigilare, ne præter iſtum verum, viuum, ſolum, & magnum Dominum, alius recens Deus falſus in populum ipſis commiſſum inſurgat: Sicut Pſalmiſta contra Iſraeliticum populum conteſtabatur; dicens: *Iſrael, ſi non erit in te Deus recens neque adorabis Deum alienum? Ego enim ſum Dominus Deus tuus, &c.* Deum adorat recentem, qui nimia diligentia; crapula, & ebrietate paſcit ventrem: *Quorum Deus venter eſt*: Deum recentem adorat, qui theſaurum in corde portat: *Vbi enim theſaurus tuus eſt, ibi & cor tuum erit: Nihil iniquius, quàm amare pecunias*. Deum recentem adorat, qui meretricem magis, quam Deum amat, ac honorat, *Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur.*

Inueniuntur inſuper alij vtriuſq; ſexus perditiſſimi homines, qui cùm videant mirabilia, quæ verus, & ſolus Deus per ſe ipſum, aut per interceſſionem Sanctiſſimæ eius Matris Virginis, vel aliorum ſanctorum, amicorum, ſiuè ſeruorum operatur, cum nulla apud Deum merita habeant, imò plurima demerita; cum de facto ſint in manu Diaboli in ſuis neceſſitatibus non audent ad Patrem miſericordiarum recurrere, & ideò ſe vertunt ad ſuperſtitiones, incantationes, veneficia, ſortilegia &c. donec tandem cum Diabolo intrin-

secum faciunt amicitiam, & fiunt ipsius sequaces, ac filij, quærentes semper eius adimplere uoluntatem: Vt benè Christus Dominus peruersis, ac diabolicis Iudeis dixit: *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria* (idest uoluntatem) *Patris vestri vultis facere.*

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

37 HIC Minister Christi diligenter gressus hominum perpendens, & videns quod maior illorum pars per latam viam ambulat, quæ ad perditionem ducit; anxiè benignissimum Dominum rogat, vt illum per viam rectam, quę ad vitam ducit, perducere dignetur, vt per illam ad æternam fruitionem ingrediatur, (& ingrediar in veritate tua) ideſt p ianuā virtutis tuæ, vię, vitę, & veritatis tuæ. *Ego sum via, veritas, & vita; per me si quis introierit, saluabitur, &c.* (Duduc me Domine &c.) Via Domini, præter veritatem est etiam misericordia: Psal. 24. *Vniuersæ vię Domini misericordię, & veritas.* Discat ergò ex hoc

sacro

facto versiculo pius animarum Pastor bra-chia misericordiæ aperire, cum suis Parochia-nis misericordiam ostendere ; peccatores ad pænitentiam vocare, leuem, sed salutarem iniungere pænitentiam, saluberrima consilia, siuè remedia præ emendatione præbere, &c.

[Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum] Id est in rebus Diuinis, & spiritualibus; & cum Paulo Apostolo: *Repletus sum consolatione superabundo gaudio*, & cor ita lætificatum, ac in Domino confortatum . Nomen Domini timebit [timebunt &c.]

Confitebor tibi Domine in toto corde meo; et glorificabo nomen tuum in æternum.

38 IDest (ait perfectus Sacerdos) antequã ad sacrum faciendum accedam, diligenter meam perlustrabo conscientiam, & si lethalem culpam (quod nec nominetur in nobis) aut peccata venialia inuenero ; tunc omnia per viam lacrymarum doloris, ac contritionis prius Maiestati tuæ (quia tibi soli peccaui) ex corde confitebor, ac detestabor; deinde ob nominis tui amorem omnia pec-

cata Confessario per auricularem confessionem, siue Sacramentalem manifestabo; libenterq; pænitentiam acceptabo, ac hostiam immaculatam sacrificabo.

Sanctissimus, deuotissimus, ac pijssimus Diuus Carolus Borromeus Ecclesiæ decus, Prælatorum norma, sanctitatis speculum, morum disciplina, scutum fidei &c. nunquã audebat sacrum facere absq; præmissa confessione, licet per sæpe ob animæ candorem vix absolutionis materiam haberet; mirum ergò non est, si ad tantam sanctitatis excellentiam peruenerit, quod iure meritò Sanctorum monstrum appellatus fuerit.

Debet ergò fidelis Christi Minister frequenter confiteri, licet tantummodo peccata haberet venialia; quia licet (vt supra diximus) gratiam non expellant, perfectionem tamen, & cælestem dulcedinem impediunt. *Et qui modica spernit paulatim decidet*. Eccl. 19.

[Et glorificabo nomen tuum)] supra petebat gratiam nomen Domini timendi, nunc verò promittit se nomen illius glorificaturum, vnà cum deuotissimo Bernardino Senensi magnitudinem, ac potentiam Sanctissimi Nominis sui prædicaturum, defensurum, &c. Quid aliud est nomen Dei glorificare, nisi in ore semper habere, benedicere, & laudare, & ad illud laudandum alios excitare,

blas-

blaſphemos increpare,& quantum licet caſtigare, in omnibus peragendis cum Diuo Paulo inuocare, ac in corde fixum tenere. *Laudabo nomen tuum aſſidue.* Et deuotiſſimus Bernardus in feſto Sanctiſſimi Nominis Ieſu ait: An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantem impinguat? quid ita exercitatos reparat ſenſus? virtutes roborat, bonos mores vegetat, atq; honeſtos: caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis cibus animæ, ſi non oleo iſto infunditur; inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum; ſi diſputes, aut conferas non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus: Ieſus mel in ore, in aure melos in corde iubilus &c.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere.
Expertus poteſt credere.
Quid ſit Ieſum diligere. ex eodem.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: et eruiſti animam meam ex Inferno inferiori.

39 PEracta à penitente Sacerdote humili, lacrymabili, deuotaque confeſſione, totus

totus repletur lætitia, ac si sensibiliter Dei misericordiam super se videret; humiliter, ac probabiliter credens sibi esse condonata peccata: propterea: dicit: [quia misericordia tua magna est super me] & si fuerit (quod absit) in peccatis mortalibus: postquam è peccatorum pondere liberatus fuerit, videtur illi esse ex profundo inferni erutus; Vnde subiunxit [& eruisti animam meam ex Inferno inferiori] opertus flagitijs Infernus rectè dicitur. Inscrutabilis enim Deus suis Ministris aliquando lethalem lapsum permittit; vt exinde prudentiores, & ad pericula euitanda cautiores fiant, fugiendo omninò perniciosas conuersationes, muliercularum præcipuè: *Nam mulier amarior est morte*; euitando lauta cibaria, siuè conuiuia, Bacchi lacrymas, siuè præstantiora vina: *Vinum, & mulieres faciunt apostatare sapientes*: Et Diuus Petrus nos admonet: dicens: *Fratres sobrij estote, &c* Postremò discant ex illorum infirmitate, uel caducitate morbos Parochianorum curare, ouibus scabiæ infectis misericordiam præstare, vulnera circumligare, &c. Christus enim Dominus noster post Trinam Petri negacionem, oues proprio sanguine redemptas mirabiliter commendauit: *Pasces oues meas.*

Deus

Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me , & Sinagoga potentium quæſierunt animam meam ; et non propo-ſuerunt te in conſpectu tuo.

40 IDeſt : Miniſtri Infernales, ac illorum ſequaces contra bonos , ac optimos Chriſti Miniſtros inſurgunt, impij enim non poſſunt bonorum, ac prudentium pietatem ferre , & ideò illos perſequuntur .: ſcriptum eſt enimm : *Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur* . Et ſi miniſtri tenebrarum vna cum infimis plebis non ſufficiunt ad deterrendam cor miniſtrorum Chriſti ; ſtatim caterua potentium , ſiuè Synagoga nobilium malè viuentium (ſemper bonis habita reuerentia) inſurgit contra illos. Et dum vident quod non ceſſant contra illorum Tyrãnides concionari factionem illorum inſequi; nec permittunt illos abſq;Sacramentis,in concubinatu(ſiuè quod peius eſt) in adulterio viuere pro viribus illorum animas quærunt [& Synagoga potentium &c.] interficiendo bonos , ac probos Sacerdotes, vel illos abſq;cauſa , vel auctoritate expellendo,apud ſe proſcriptos, ſiuè bãnitos, ſicarios,

fures, facinorosos, adulatores, mimos, meretrices &c. retinendo; nihili prorsus Sacerdotum dignitatem faciendo. Vidi namque in quadam regione, quod Pastores animarum syndicantur, atque æliguntur in eodem foro, ac eadem die, quo famuli porcorum, ac communitatis vaccarum deputantur. At quod peius est hisce temporibus in nostris partibus (proh dolor) plures Sacerdotes interfecti fuerunt, iugulati, veneno extincti, beneficijs priuati, bonis proprijs expoliati. Nec propterea debent huismodi Tyrannos expauescere. Dicente Domino: *Amen dico vobis amicis meis ne terreamini ab his, quis vos persequuntur: non est Discipulus super magistrum: si me persecuti sunt, & vos persequentur: nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c:* Sic non timuit Christi Præcursor, qui dum contra adulteros, ac incestuosos concionabatur, ab adulteris captus, in carcerem missus, ac ibidem in gratiam adulteræ, ac saltatricis decapitatus fuit. Sic interfectus fuit Sanctissimus Pontifex Stanislaus, eo quòd contra Regis Boleslai carnalitatem concionaretur: Simili modò interfectus fuit à nefarijs militibus Sanctissimus Thomas Cantuariensis, eo quod iniqui Regis noluit iniquis obedire mandatis. Sanctissimus quoq; Carolus Borromeus pro Ecclesiastica disciplina tuenda multa passus est,

&ab

& ab infami Apostata igneo globo tormenti bellici laxata rota percussus, sed Diuinitùs seruatus. *Beati, qui persecutiones patiuntur propter iustitiam.* Si quæras: cur isti peruersi talia mala contra Dei amicos eiaculantur. Respondeo ex eodem versiculo: [quia non proposuerunt Deum ante conspectum suum] idest; omnem Dei timorem prorsus abiecerunt, post peccata sua ambulauerunt, & ideò iuxta Dei timorem ambulantes persecuti fuerunt: Iuxta illud; ambulans recto itinere, ac timens Deum despicitur ab eò, qui infami graditur via. vti diximus.

Et tu Domine miserator, et misericors: Patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

41 IDest: Tu Domine, qui es misericordia ipsa abstractè cum sis Omnipotens, *& non sit, qui possit tuæ resistere voluntati; non haberes aduersum me, &c.*

Hostes tuos scilicet Pontifices, Pilatum, Herodem, nefarios milites, ac infames Lictores annihilare, manus tuas in sanguine ipsorũ lauare, ac sic viuentes in Infernum demergere; Non solùm, inquam, tales vindictas non

fecisti, quinimmò in Cruce eleuatus brachijs extensis misericordiarum Patrem pro inimicis exorasti: dicendo; *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt; si enim illum cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Quare sic orasti? quia tu Domine Deus miserator &c. & duobus fratribus Iacobo scilicet, & Ioanni vlcisci contra Samaritanos volentibus respondisti: *Nescitis cuius spiritus estis*. [Patiens] semper silui, patiens fui; & suis Discipulis dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* [& multę misericordiæ] sed in plurali, misericordiæ multæ, immensæ, infinitę, indicibiles; vocatur Pater misericordiarum: Et Sancta Mater Theresia frequenter hunc versiculum repetebat: Misericordias Domini in æternum cantabo; ac cum hoc versiculo pingi solet.

[Et verax] Quod non solùm docebat, sed insuper quę docebat, simul faciebat: Imò cępit prius facere; deinde docere: Iesus cæpit facere, & docere: Exemplum dedit nobis, vt sequamur vestigia eius: Inimicis scilicet ignoscendo, pro persequentibus, & calumniantibus orando: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: & si aliquando expedit, persecutiones fugiendo: *Si persequentur vos in ciuitate ista: fugite in aliam*. Super omnia discant Christi Ministri non tantùm docere, sed

etiam

etiam facere: *Nam qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum.* Magis mouent exempla, quàm verba.

Reſpice in me, & miſerere mei; da imperium tuum puero tuo: & ſaluum fac Filium Ancillæ tuæ.

42 IDeſt: reſpice Domine ſuper me famulum tuum Sacerdotem: & cum ſis ſcrutator renum, & cordium; tu ſcis vtiq; quod hoſtibus ex corde peperci, pro illis aſſiduè oraui, & vſq; ad vitæ occaſum deprecabor: Et tu quoq; miſerere mei: Tu enim dixiſti: *Dimittite, & dimittetur vobis:* [Da Imperium tuum puero tuo] Ideſt: Tribue mihi gratiam tuam ferendi crucem: *Qui vult venire poſt me: abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; Quid eſt Chriſti Imperium in hoc ſæculo? niſi Crux Chriſti: *Cuius Imperium ſuper humerum eius*: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit à ligno*: *Non habemus hic ciuitatem permanentem; ſed futuram inquirimus*: Qui cupit huius ſęculi conſolationes: non poterit obtinere æternas; *Veh vobis, qui habetis conſolationes huius ſęculi*: Melius eſt vt miniſter Chriſti per

uia

uia Crucis, castitatis, persecutionum, ac paupertatis Imperium, vel regnum acquirat sempiternum: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum Celorum*: Et sic per hanc tutissimam viam Filius Ancillæ tuæ saluabitur.

Fac mecum signum in bonum vt videant qui oderunt me, & confundantur: Quoniam tu Domine adiuuisti me, et consolatus es me.

43 HIc humilis, fidelis, ac deuotus Sacerdos confidenter petit à Deo aliquod signum: Non more Gentilium, qui perspectis signis, siuè Christianorum miraculis, ac prodigijs non rarò ad Iesu Christi fidem conuertebantur: sic hortabantur eos nostri Beatissimi Martyres Faustinus, & Iouita, dicentes: Videte Ciues mirabilia, quę per nos Deus operatur nolite credere iniquitati: *Signa autem Infidelibus, non fidelibus.* [fac mecum signum in bonum] Non respectu curiositatis, aut vanitatis: more scribarum, ac Phariseorum: qui signum: idest aliquod manifestum miraculum à IESV fieri volebant; *Magister volumus à te signum videre*; Et tali insania

nia ductus Hærodes, *Gauisus est valdè: existimabat se aliquod signum videre ab eo fieri, eo quòd multa audierat de eo, &c.* Non sic ergò fidelis Sacerdos; [fac mecum signum in bonum] idest: ad bonum finem, ad Dei gloriam, & ipsius Sacerdotis vtilitatem, & iustificationem; eo quòd fuerit calumniatus sine iusta causa è beneficio expulsus: *Iniqui persecuti sunt me: adiuua me* Domine *Deus meus; ipse enim iudicat iustè, & probat renes, & corda.* Tot manifesta signa innocentiæ, ac iustificationis innocentis Sacerdotis demonstrat; *& mendaces ostendit illos, qui maculauerunt eos,* ita vt ipsimet calumniatores talia videntes confusi remaneant; [vt videant, qui oderunt me, & confundantur] *Quoniam tu Domine adiuuisti me*] *mea est vltio, & ego retribuam: qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; manus meas lauabo in sanguine peccatorum; & pone me iuxta te; & cuius vis manus pugnet contra me.* Sic inter alios innumerabiles mirabiliter fuit adiutus, protectus, & à Deo consolatus; Sanctus Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ meritissimus Episcopus, persæpè in exilium relegatus, diffamatus; sed toties etiam ad hæreticorum confusionem, cum ipsius, ac Catholicorum consolatione, ac lætitia, liberatus, reuocatus, iustificatus, ac tandem in suo lectulo cum summa pace mortuus est: *Confundantur, qui me perse-*

quuntur, & non confundar ego; paueant illi, & non paueam ego &c. Ierem. 17.

Gloria Patri,&Filio,&c.

CAP. IV.

PSALMVS 115.

Crededi propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis.

44 HVnc versiculum; Eminentissimus Vgo Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, meritissimus in huiusmodi rebus (sicuti, & in alijs) versatissimus; putat in gratiã, siuè in personas Martyrum esse à Propheta prolatum. Ego autem in personas Missionariorum, Concionatorum; Parochorum; Sacerdotum ob fidei defensionem in medio hæreticorum, Schismaticorum, Turcarum, ac Infidelium Conuersantium, qui diligenter fidei perspectis præceptis, siuè mandatis, traditionibus, Ecclesiæ Cęremonijs, ac postmodum fidei vtilitate, ac necessitate prelibata, absq;minimo dubio firmiter credendo quicquid Sancta Romana Ecclesia credendum pro-

proponit, ac pręcipit: Veluti homines Apostolici, fidei defensores, ac antemuralia; Spiritus Sancti virtute coroborati, non possunt secus facere; quàm loqui [Credidi propter quod locutus sum] Sic respondit Diuus Petrus Principibus Sacerdotum; quando volebant illi prohibere; ne amplius de IESV Christo loqueretur dicēs: *Nō enim possumus quę vidimus, & audiuimus non loqui* . *Actor.* 4. Ita, & prædicti operarij tenentur suo tempore loqui; idest fidem Catholicam prædicare contra hæreticos, & præcipue contra nefarios ministros disputare: misteria fidei ignaris demonstrare: Caput Ecclesiæ, idest summum Pontificem, omnes Ecclesiasticos ordines, reliquias, sacras imagines, cælibatum, ac Purgatorium defendere: bonorum operum, ieiuniorum, confessionis, orationis necessitatem elucidare: Sanctissimi IESV Christi Corporis in Sacramento Altaris præsentiam ostendere, ac Missæ excellentiam, siuè valorem comprobare, &c. & cum veris Catholicis, omnibus, ac singulis fidei misterijs ceruices humiliare: Et tunc quilibet cum supradictis fidei defensoribus, ac magistris dicere poterit [Ego autem humiliatus sum nimis:] admirando scilicet profunda fidei mysteria, sine qua nunquam poterimus placere Deo; Vti Apostolus ait: *Sine fide impossibile est placere*

ve Deos faciat quilibet homo quicquid velit ; visitet omnia totius mundi loca sacra ; toto tempore vitæ suæ ieiunet, corpus suum vsq; ad sanguinem flagellis cædat: fide tantum careat, nunquam Deo placere poterit: *Quia sine fide impossibile est placere Deo*. Omnia suá pauperibus distribuat, omnes dissidentes in pacem redigat, omnes afflictos consoletur, miseros subleuet, hospitalia erigat, peregrinos suscipiat, omnia misericordiæ opera tàm corporalia, quam spiritualia exerceat &c. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et est de fide, quod vnica tantummodo sit fides. *Vnus Dominus, Vna fides, vnum Baptisma*. Et si est verum (vti reuera est) quod summi Romani Pontifices sectatores verã incorruptã habeãt fidem; necessario sequitur Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas, Zuuinglianos, Trinitarios, Vscitas, Turcas, Hębreos, & alia monstra Diaboli veram fidem amisisse, aut illam nunquam habuisse, & pestiferam sectam ex Abyssi puteo ortam sumpsisse.

Quæres, quomodo poterimus hoc probare? Respondeo quod facillimo modo. Nã omnes hęretici doctiores vno fatentur ore, quòd Romæ ante quadringentos circiter annos vera, ac germana fuerit fides; nec possunt secùs dicere; alioquin Diuus Paulus facit illos mentiri. Qui scribens ad Romanos Epis. 1. c. 1.

c. 1. ait. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus , quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo* . Et his temporibus Lucius quidam hęreticus Rhętus. 9. perditiſſimi Stefani Gabrielis filius Illantientiũ Pſeudo concionator traducens(potius ſeducens) nouum Teſtamentum in Rhætorum Idioma . Inter alia ſua execranda mendacia, hanc tamen faſſus eſt veritatem. Quòd nempe fides veſtra : Ideſt Catholica, & Apoſtolica Romana annunciatur in vniuerſo mundo;& non ſolum fuit annunciata, ſed etiam in tota Europa, ac per plures, & diuerſas mũdi partes recepta fuit ; ſicut fuit vera fides Curiæ,Illãtij,in tota Rhætia,Tiguri,Geneuę, Bernę;Baſileæ:in tota Germania, Anglia, Irlandia ; Gallia &c. & quia manifeſtiſſimam hanc veritatem hæretici nullo modo negare poſſunt . Teſtantur verum quidem eſſe ; quod Romæ vera fuerit fides ante quadringentos circiter annos(vt diximus) ſed poſtea diſceſſit , & ſubintrogreſſæ ſunt reformationes Geneuæ . Væ tibi Roma , ſi Apoſtatarum furiam , crapulorum , ſcortantium , luxuriantium reformationibus indigeres . Quis non miratur hanc hæreticorum diabolicam malitiam,ac inſaniam ? quomodo ſub fidei zelo contra veram fidem abominabiles, ac execrandos ſeminarunt,ac continue ſemi-

nant errores, in perditionem animarum sua-rum, in seductionem populorum.

Nec est intentio mea, nec locus, aut tempus mihi permittit, vt in huius versiculi explicatione, hæresibus, ac hereticorum fatuitatibus respondeam: maximè verò, quia antehac viri doctissimi responderunt, hæresesq; confutarunt, vti fecit Bellarminus Cardinalis, noster Bouerius Capuccinus, Beccanus, Forrerius Lucernensis meus intimus, innumerabiles Iesuitæ, Diuersiq; alij Scriptores: quorum non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere. Attamen in gratiam illorum Sacerdotum, ac Missionariorum, qui versantur in medio hereticorum, qui multoties ob locorum paupertatem non habent penes se præfatos Auctores; ponam hic aliqua argumenta, siuè rationes, que mihi præ cæteris faciliores, ac efficaciores videntur, quibus facilimè poterunt omnes hæreticorum errores, ac illorum falsissima argumenta confutare.

Hæretici enim fatentur, quod ante quadringentos circiter annos, imò aliqui dicunt tempore Lutheri Romæ, veram fuisse fidē: non possunt hæretici moderni negare: quod eadem fides (antequam hæretici fierent) eodem tempore fuerit apud illos, quod si hanc infalibilem veritatem negauerint, aut tacuerint,

rint, lapides clamabunt: Nam in Eccleſiis hæreticorum inueniuntur ſtatuæ marmoreæ, ſiuè lapideæ, quæ Catholicorum perſonas manifeſtant, maximè Religioſorum vtriuſq; ſexus, vti ego ipſemet vidi apud Ducē VVittembergenſem in ciuitate Dilingæ, vbi etiam ſunt in Choro Canonicorum, ſiuè Sacerdotum ſedilia; at poſt defectionem à fide poſuerunt ſepulcra ſiuè arcas Principum, vel Ducum defunctorum, aut Dominarum illorum. Item Lindauij more Catholicorum in Eccleſia Luteranorum ſunt adhuc ſacræ imagines, ac ſedilia in choro. Similiter Illantij apud Rhetos in Eccleſia Sancti Martini extra Vicum Laguntinam verſus, in pariete ſunt imagines Virginis MARIÆ, ac Sanctorum aliorum, quas ego vidi, ac ipſis Lutheranis diſputationis gratia in faciem detuli. Itidem in diuerſis alijs Eccleſijs hæreticorum, precipuè verò Lutheranorum inueniuntur imagines IESV Chriſti Crucifixi, ac diuerſorum Sanctorum, Cruces ſuper turres eorum; monaſteria diuerſorum ordinum vtriuſq; ſexus Religioſorum; ſicuti Lindauij adhuc videtur derelictum monaſterium Franciſcanorum; Curiæ Monaſterium Sancti Nicolaj Dominicanorum, ac Monaſterium exulatarum Monialium Sanctæ Catharinæ. Sic dicendum eſt de alijs ciuitatibus; Vti Tiguri, Bernæ,

 Baſi-

Basileæ, Geneuæ, &c. in quibus locis adhuc sunt Religiosorum Monasteria, licet ab his haud culta; sic de alijs sacris rebus discurrẽdum est; vti calicibus, ciborijs, antipendijs, planetis, lampadibus, thuribulis, candelabris, &c. quorum quędam adhuc apud hæreticos conseruantur; quæ omnia nostrę Religionis euidentissima sunt signa; & quod nempè eadem fides, siuè Religio, idem cultus, traditiones, paramenta Ecclesiastica, cæremoniæ, Missæ Sacrificium, septenarius numerus Sacramentorum, preces Defunctorum, obseruantia ieiuniorum, habitationes Religiosorum, Domus Præsbyterorum, Crucifixi, Cruces, immagines Sanctorum, ac reliquiæ ipsorum. Quę omnia inquam (& multa alia, quæ breuitatis gratia relinquo) fuerunt in reuerentia habita, ac exercitata eodem tempore, ante scilicet quadringentos annos, ac tempore Lutheri tam Romę, quam Geneuæ, Tiguri, Basileę, Bernæ &c. At Romæ (& in omnibus alijs eiusdem Religionis locis) hæc omnia conseruantur, & obseruantur, non autem Geneuæ, Tiguri, Basileę, Bernæ, &c. Ergò defecerunt apud istos, non apud illos. Probatur eodem tempore septenarius Sacramentorum numerus fuit tam Romæ, quàm Geneuæ; at Romę idem perseuerat numerus, non autem Geneuę; Ergò Sacramentorum

rum

rum numerus dilapidatus est Geneuæ, non Romæ. Item Sacrificium Missę eodem tẽpore offerebatur tam Romę, quàm Geneuæ: at Romæ adhuc offertur, non autem Geneuæ. Ergò Sacrificium Missæ perijt Geneuę non Romę. Caput Ecclesiæ, idest Summus Pontifex, vt verus Christi Vicarius eodem tempore agnoscebatur, & venerabatur tam Romæ, quam Geneuæ: at Romę adhuc agnoscitur, ac veneratur, non autem Geneuę; ergò caput Ecclesiæ perijt, siuè despectus est Geneuæ, non Romæ. Item preces pro animabus in Purgatorio existentibus eodem tẽpore fundebantur tam Romę, quàm Geneuæ; at Romæ adhuc funduntur, non autem Geneuæ; ergò preces defũctorũ vna cũ Purgatorio perierunt, siuè negantur Geneuæ non Romæ. Item cultus Sacrarum immaginum, ac Sanctarum reliquiarum eodem tempore obseruabatur tam Romæ, quã Geneuæ, at Romæ adhuc obseruatur, non Geneuæ; Ergò perijt Geneuæ non Romæ. Item institutio diuersorum ordinum vtriusque sexus Religiosorum eodem tempore fuit tam Romæ, quàm Geneuæ; at Romæ, adhuc perseuerat non autem Geneuę; ergò perijt Geneuæ non Romæ.

Sic dicendum est de reali præsentia Sacratissimi Corporis IESV in Sanctissimo Eucha-

ristię Sacramento, de cælibatu, de merito bonorum operum, de intercessione Sanctorum, de obseruantia ieiuniorum, ac tandem de cæteris controuersijs, in quibus altercamur cum hæreticis. Ex quibus isti perditissimi homines nullam habent contra nos occasionem altercandi, & à vera fide discedendi, sed potius occasionem habent verecundandi, execrabiles errores cognoscendi, detestandi, veramq; fidem suscipiendi. *Sed cęci sunt, & duces cæcorum, & in tenebris ambulant,* donec in foueam pœnarum Infernalium cadent, & tunc oculis considerabunt, & retributionem errorum suorum, ac hæresum videbunt. Et mirum profectò est, ex quo in hanc cęcitatem se præcipites dederunt, quot errores cōmiserint, quot mutationes fecerint. In quibusdam locis vnicum tantum admittunt Sacramentum, in alijs verò duo, aut tria, ac si esset in libertate cuiuslibet hęretici Sacramentorum numerum instituendi. Et non verecundata sunt sacrilega hæreticorum ora sacramenta vocare excrementa. Symbolum Sancti Athanasij, Symbolum Sathanasij. In quibusdam locis festa quædam instituerunt; in alijs locis blasphemarunt, ac in exilium relegarunt. Multa mendacia contra ieiunia scripserunt. Religiosos, ac alios catholicos ieiunantes subsannarunt, at postquam
cecidit

cecidit fulgur in puluerem tormentarium Tigurensium non absq; hominum, ac Ciuitatis detrimento, tunc ieiunium commendarunt, ac sub pæna vnius coronati obseruandum præceperunt non solum in Eluetia, sed etiā in Rhetia. Debemus ergò miserandum miserrimorum hæreticorum statum compati, ac vna cum Sancta Theresia tàm infidelium, quam hæreticorum tenebras continuè illacrymari; ac cum Eliseo Propheta dicere: *Aperi Domine oculos Cæcorum istorum; nam qui ambulat in tenebris nescit, quò vadat. Ioan. 12.*

Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.

45 HIc agitur de personis in via Dei proficientibus, perfectis contemplatiuis, ac estaticis, qui pro viribus perfectioni incumbunt, ac per diuersos orationis gradus transierunt: nempe per feruentes meditationes: *& in meditatione mea exardescet ignis*: Psal. 38. per aspirationes, quas alij orationes iaculatorias vocant, de quibus Propheta Dauid ait: *Eructauit cor meum verbum bonum*. Et Paulus Apostolus; *Cantabo spiritu, cantabo & mente; psallam spiritu, psallam, & mente*: & in alio loco: *Cantantibus in cordibus vestris*. Item

per quietem : *Et requiescet super eum Spiritus Domini* . Item per vnionem . *Vnus Spiritus efficimur cum eo* . Item per transformationem; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur; & colabit filios Leui* . Item per donum Sapientię; *Cibauit illum panet vitæ, & intellectus , & aqua Sapientię salutaris potauit illum Dominus Deus noster . Eccles.* 15. Item per extases, siuè mentis excessus : & intelligitur illud psalmi : *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Psal.*67. Item per raptus ; De quibus Apostolus : *& raptus sum In Paradisum & vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui* . Item per visiones ; de quibus Ezechiel Propheta c.1. *Cum essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar aperti sunt cęli & vidi visiones* Dei . Tādem per reuelationes , de quibus frequenter agitur tam in Sacris scripturis , quàm in Sacris historijs . Et de huiusmodi orationis gradibus noster Pater Victor Treuirensis in sua mystica Theologia fusius , ac doctissimè pertractat; & qui per hanc viam pertransijt, & ad hunc cælestem , iucundissimumq; orationis statum peruenit , vel huiusmodi orationis gradibus potitus fuerit, ac quàm suauis sit Dominus degustauerit, omnis homo, qui hanc viuendi formam non sequitur, mendax illi esse videtur, & bene quidem, nam spiritus Sanctus contra hanc hominum sementem

qui

(qui rebus spiritualibus neglectis tantummodo vanitatibus delectantur) exclamat : *Fily hominum vsque quò graui corde vt quid diligitis vanitatem , & quęritis mendacium , mendaces filij hominum in stateris* [omnis homo mendax] vere mendax ; nam si perfectioni incumberet cęlestibus diuitijs etiam in hac vita frueretur ; nam veritas infallibilis Christus Deus noster dixit: *Regnum Cælorum intra vos est* . Et Sanctus Augustinus apud Treuirensem dixit : Sensi quiddam in me resplendens animæ meę , quod si perficeretur dicere non dubitarem, id vitam esse æternam . Discant ergò Concionatores , Parochi, ac Sacerdotes vacare non solum ministerio Marthæ, sed etiam silentio Marię non solum vitę actiuæ , sed etiã mysticæ, ac contemplatiuæ ; quod exinde maximam trahent virtutem non solum lætissimè viuendi, sed etiam maximo cum feruore concionandi (*Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me* ; *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*) insuper cum omni prudentia curam animarum habendi, ac pro illarum salute sanguinem fundendi: *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.*

Nec valeat dicere pro illorum excusatione propter emergentes occupationes se non habere orandi tempus , nam orationis amici

locum,

locum, & tempus orandi inueniunt. Sanctus Carolus maximas curas habebat, & tamen longa orandi spatia inueniebat, somnum oculis rapiebat, per sæpe in orationibus pernoctabat; Sanctissimus, ac feruentissimus Philippus Nerius congregationis oratorij fœlicissimus Fundator assiduè confessiones audiebat; & tamen longas contemplandi habebat moras, in Dei amore ardebant, Sanctus Augustinus, Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius ac alij Religionum Institutores, siue Reformatores tam homines, quam mulieres, multa, ac grauia negocia pro honore, ac Dei amore tractabant, & tamen loca solitaria orationis amica inuenire sciebant, ac illa fęcundissima proles Ispanię, lux Italię Sanctissimus Antonius de Padua scholasticam, ac mysticam Theologiam legebat, verbum Dei varijs linguis disseminabat, Confessiones audiebat, libros componebat, monasteria construebat, disciplinam, & obseruantiam regularem defendebat, contra nefarios hęreticos assidue disputabat Tyrannos increpabat, per diuersas Prouincias discurrebat, varijs morbis laborabat, assiduè tamen orabat. Sic etiam Sanctissimus Gallorum Rex Ludouicus, tam in Regni moderatione, quam in belli administratione, sine intermissione orationi vacabat. Cauendum tamen est vsus quorundam hęreticorum maximè Anabaptistarum, qui quidē vi-
tam

tam mysticam, aut contemplatiuam profitentur, aut profiteri putant; & tamen nolunt, vt plurimum orare, nisi in medio mulierecularum, Iuuenculorum, aut Viduarum; & clausis ianuis, ac fenestris, luminibus extinctis, horis suspectis finctam orationem incipiunt; at multa scelera, ac inaudita peccata comittunt. Ideò omnes hęretici sunt fugiendi, & euitandi. *Hominem hæreticum post primam, & secundam correctionem deuita:* inquit Paulus Apostolus, Tit. 3. [Omnis homo mendax] hoc si de mendacio intelligitur, non ita tamen stricto modo more hęreticorum intelligendum est, nempe omnes homines esse mendaces; nam dato, & concesso, quod ipsi tales sint, ac nullo modo excusari possint propter inaudita, ac hæreticalia mendacia, quę contra Deum, ac Sanctos suos, & contra omnes Catholicos, præcipuè Pontifices, Cardinales, Prælatos, omnes vtriusque sexus Religiosos, scripserunt, ac continuè dicunt, ac scribunt: Non tamen omnes Catholici sunt tales. Nam parentes Sancti Ioannis Baptistę, *Fuerunt iusti ambo ante Deum*. *Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat*: *Simeon iustus, & timoratus*; *Ioseph Virginis* Mariæ meritissimus Sponsus, & alter Ioseph, & Barnabas, cum innumerabilibus alijs vtriusq; sexus, qui non fuerunt mendaces, sed veraces; Si omnes homines essent mendaces nullus saluaretur; *Nam Deus perdet*

omnes

omnes, qui loquuntur mendacium; hoc diei nequit: ergo &c. [Sit ergò omnis homo mendax] idest (vti Catholici exponunt) pronus ad mentiendum.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

46 CONsideratis Tobias, ac diligenter computatis beneficijs ab Angelo Raphaele acceptis pro gratiarum actione vna cum Patre statuit dimidiam bonorum suorum partem illi tradere; Tobię. 12. *Et rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quę attulerant, acceptam habere.* Similiter Romani dum adhuc in gentilitatis tenebris versarentur, auditis Nūciorum Simonis Machabei sermonibus, maximisq; donis perspectis dixerunt: *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, ac Filijs eius?* Multò pręstantiora beneficia quilibet Christianus, maximè verò Sacerdos à Domino Deo accepit; ac primò quod illum ex parentibus Catholicis exciderit: 2. quod saluum è ventre Matris extraxerit: *Domine qui extraxisti me de ventre*, 3. quod ad gratiam baptismi perduxerit. 4 quod in studijs educauerit. 5. è Dæmonis laqueis toties liberauerit; 6. quod illum in ministrum sibi elegerit; *Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi ad*

Sa-

Sacrificandum *Hostiam laudis*. 7. quod toties suo Sacro corpore, ac Sanguine cibauerit. Quas ergò gratiarum actiones tali Deo deferre debet, nam bonorum nostrorum temporaliũ non æget? Vti per Psalmistam ait: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorũ potabo? Cognoui omnia volatilia Cęli, & pulchritudo agri mecum est si esuriero non dicam tibi; meus est enim orbis terrę, & plenitudo eius*: quomodo ergò gratias aget, qui gratias agere cupit? *Immolet Deo Sacrificium laudis*; maxima cum deuotione, ac præparatione Missæ Sacrificium celebrando; Diuinum officium attentè, ac deuotè persoluendo, loca solitaria quærendo: examen conscientiæ diligenter faciẽdo, Deo semper benedicendo: *Benedicam Dominum in omni tempore*: De virtute in virtutem proficiendo: *Ibunt de virtute in virtutem*. Pro Dei amore pauperibus eleemosynas tribuendo, peregrinos suscipiendo, infirmos visitando, nudos vestiendo, esurientes, ac sitientes cibando, ac potando; captiuos visitando: ac tandem in omnibus alijs bonis operibus vsq; ad vitæ occasum se exercendo: *Nam qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit*. Hæc omnia, inquam, incomparabiles sunt gratiarum actiones, Deoq; acceptæ. *Quod vni ex istis minimis fecistis, mihi fecistis*. Gloriosissimus Carolus Boromæus tempore pestilentiæ, ac fa-

mis,omnia pauperibus, ac peste laborantibus vsque ad lectum distribuit, ac diù super nudas tabulas dormiuit. Et vna die quadraginta millia aureorum; altera viginti millia pauperibus, ac locis pijs distribuit. Et qui Diui Caroli diuitias non habet, pauperculi Francisci sequatur vestigia, qui dū nihil aliud habebat, proprium vestimentum pauperibus cedebat; & Sanctissima Virgo Clara minorū planta manu propria linum elaborabat, subtilissima corporalia faciebat, ac pauperculis Ecclesijs distribuebat. *Veruntamen quod superest, date eleemosinam, &c.* Luc. 11.

Calicem salutaris accipiam; & nomen Domini inuocabo.

47 ALiud gratiarum actionis genus est: Calicem salutaris accipere, & nomen Domini inuocare. Sub Calicis nomine Christi passio intelligitur, vt ipsemet dixit duob' Discipulis fratrib' dignitates postulantibus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* & in alio loco: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* & in horto: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste*. Per hunc ergò Calicem, per Christi nempè dolores, siue passionem debent Ministri Christi pertransi-

tranſire, ſi volunt illi placere, ac pro beneficijs acceptis debitas illis gratias agere: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic, & Miniſter meus erit*. Et Diuus Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*. Hæc eſt tutiſſima ſalutis via: nempe temperantiæ, *Cauete à crapula, & ebrietate*: Cilicij, *Cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio*: Silentij: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio*. Vigiliarum, & orationum: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: Mortificationum: *Mortificate membra veſtra &c.* Paupertatis: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: Corporis afflitionum, flagellationum: *Et caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*. Hæc omnia, inquam, contra dæmones ſunt arma potentiſſima: Sicuti Beatus Antonius ſuis monachis dicebat: Credite mihi fratres, pertimeſcet Satanas piorum vigilias; orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, & humilitatem; maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico Sanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit. Hæc eſt tuta Sacerdotum, ac Religioſorum vita, quia non decet ſub capite ſpinoſo ducere vitam delicatã; *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur*

tur me : Et Sancta Mater Theresia dicebat : Domine; aut mori, aut pati; Et Sanctus Pater Franciscus singulis ferè diebus nouum mortificationum genus inueniebat [& nomen Domini inuocabo] Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & honorificabis me : *Inuocabit me, & ego exaudiam eum, eripiam eum, & glorificabo eum* . *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate*.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius ; pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

48 Aliud est etiam gratiarum genus actionis : Vota scilicet : Domino reddere, Vota enim Domino reddere nihil aliud est, quam promissiones Deo factas seruare : *Immola Deo Sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua* . *Vouete, & reddite Domino Deo vestro : melius est enim non vouere , quam post votum promissionem non reddere* . [Coram omni populo eius] qui enim vota sua diligenter custodit, totum Populum ædificat, & in populo Deus glorificatur : iuxta illud Matth. 5. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum , qui in cęlis est* . Et Sanctus Paulus : *Christi bonus*

odor

odor sumus in omni loco. Hæc sunt vota scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis Domino Deo firmiter à Religiosis obseruanda; obedientia fuit Filio Dei tàm cara, quòd pró illa libenter mortuus est: *Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem &c.* Ob cuius amorẽ debemus æquo animo omnes obedire: Primò Summo Pontifici legitimè intranti. 2. Episcopis, 3. Prælatis, ac omnibus alijs, quibus parere tenemur. *Obedite Prępositis vestris, & subiacete eis &c. Hębr. 13.* Omnes enim (Summo Pontifice excepto) habent, cui obedire debeant: *Et melius est obedire, quam sacrificare.* Paupertas IESV Christi Sponsa. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*: pauperrimè toto vitæ suæ tempore vixit: at moriendo non habuit, vbi caput suum reclinaret. *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Matt. 8. & Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cęlorum.* Et licet paupertatis votum, vt plurimum à solis regularibus emittatur: quiuis tamen certò sciat, quod qui paupertatis zelum ignorat, in alijs virtutibus acquirendis frustra laborat: Sic omnes Sancti hanc præstantissimam dilexerunt margaritam diuites quidem, sed non pro se ipsis, sed ob Dei honorem, ac pauperum vtilitatem. Sic fuit Sanctissimus Ludouicus Gallorum Rex, Sanctus

Carolus Borromeus pauper in habitando; nam curauit sibi fieri cellulam more Capuccinorum; pauper in vestiendo: paupercula, ac vilia deferens vestimenta; pauper in comedendo; persæpè lupinis solis contentus: Sic fuit Beatissimus Thomas de Villa noua pro pauperibus tantum diues: Sanctus Pater Franciscus dum adhuc in sæculo versaretur, secum pecuniam deferebat, & pauperibus pro Dei amore postulantibus nunquam eleemosinam negabat.[Vota mea Domino &c.] Votum tandem castitatis, quæ Ministros Christi supernis spiritibus ęquales facit: Vnde anima Sancti Ludouici Tolosę Episcopi fuit ab Angelis in Cælum delata; cantantibus Angelis. Sic fit seruienti Deo in munditia, & puritate. Hęc est pretiosa mors illorum ministrorum Dei, qui illi vota promissa vsq; ad finem illibata seruarunt: Vnde sequitur [Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius] Qui verò vota Omnipotenti Deo facta neglexerunt, aut post errores pænitentiam non egerunt; *Nisi pęnitentiam egeritis omnes simul peribitis*, non pretiosam sanctorum mortem, sed pessimam reproborum: inuenient: sicut scriptum est; *Mors peccatorum pessima*: Et è contra sancti mortui sunt cãtando, iubilando: Sic legitur de Sancto Hieronimo, Francisco, & alijs. *Exultate Iusti in Domino, rectos decet collaudatio,* O

O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & Filius Ancillæ tuæ.

49 ALiud insuper gratiarum actionis genus est, oblatio sui ipsius: omnia enim offert, qui se ipsum non retinet: Sic & Filius Dei dedit semetipsum pro nobis: Galat. 1.4.& Pater dedit nobis suum dilectissimum Filium; *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Exinde sequitur, quod & nos debemus diligere Deum in omnibus, & per omnia illi subiacere, ac famulari; & multoties clamare: ò Domine quia ego seruus tuus, Episcopus tuus, Parochius tuus, Concionator tuus, Missionarius tuus, Sacerdos tuus, minister tuus cultui tuo dicatus: Domine quid me vis facere? pręcipe, & da mihi virtutem tuā adimplendi præcepta: fac, vt semper tuam faciam voluntatem. Deuotissimus, ac feruentissimus Ioseph à Leonissa noster Concionator Capuccinus inter alias suas incomparabiles, & inenarrabiles virtutes, hanc pluries in die frequentabat; quod nempè ante Sanctissimum Eucharistię Sacramentum pronus orabat: dicendo: en Seruus tuus, præcipe mi Domine; mi Rex, &c.

[Ego Seruus tuus] Idest Pastor animarum

ſanguine tuo redemptarum: fac vt ſim bonus paſtor,& ſi opus fuerit, ponam animam meã pro ouibus meis: Bonus Paſtor debet ſuper oues ſibi commiſſas inuigilare, à conſortio hæreticorum longè illas tenere: contractus matrimoniales cum illis omninò impedire: tempore peſtilentiæ ad immitationem Diui Caroli,ac tot Religioſorum inſeruire; medicinas ſpirituales iuxta infirmitates præbere.
[Et Filius Ancillæ tuæ.] prò Ly: Ancillæ tuæ quidam expoſitores intelligunt Eccleſiam: Filius Ancillę tuæ: Ideſt: Eccleſiæ tuæ: Qui ſenſus non facilè eſt admittendus: Eccleſia enim non eſt Ancilla,ſed Domina, Regina formoſiſſima, ſponſa Agni, libera: non Agar, ſed Sarra. Prò Ancilla ergò intelligenda eſt Mater Carnalis, quæ non ſolum mundo, ſed Deo Filios peperit; ſicut Sancta Monica Filium ſuum Auguſtinum. Et melius intelligenda eſt Marer Spiritualis,ſcilicet Sanctiſſima Virgo MARIA, ſub cuius vexillo debent omnes Chriſtiani, præcipuè verò Dei Miniſtri militare: Nulla enim gratia venit de cęlo,niſi per manus MARIÆ. Nam ipſa ob ſuam profundiſſimam humilitatem Ancilla vocabatur: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Lucæ.1. & alibi: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, &c.* Et Filius ancillæ tuæ]. Ideſt,humilis, ac deuotiſſimus

mus Virginis MARIÆ Filius; non per naturam, sed per gratiam, deuotionem, ac reuerentiam. Sic factus fuit Ioannes meritissimus Christi Discipulus: *Mulier: Ecce Filius tuus; Deinde: dicit Discipulo: Ecce Mater tua;* Sic adoptata fuit Sanctissima Virgo Theresia; de qua sacra eius historia: ait: mortua matre, cum à Beatissima Virgine peteret, vt se Matrem esse monstraret: pij voti compos effecta est: semper perinde, ac filia patrocinio Deiparæ perfruens: & poterat dicere; *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me; Domina* autem assumpsit me.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis; & nomen Domini *inuocabo.*

50 (Dirupisti vincula.) Idest fregisti, siuè dissipasti omnes difficultates, quibus in principio conuersionis meæ laborabam, quando nempè cultui tuo me mancipando, Diabolo, pompis eius, ac operibus illius vale dixi: & cum Sancto Francisco poterit dicere: & quod amarum mihi videbatur (in seruiendis Leprosis) conuersum est mihi in dulcedinem animæ, & Corporis: *Fili*

accede ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem; & quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Tob. 12. Multę tribulationes Iustorum, &c.

[Dirupisti &c.] Ideſt fregiſti vincula draconis infernalis, quibus in peccatis oppreſſum me retinebat; modo ob tuam immenſam clementiam liberatus ſui: & ob inæſtimabile beneficium mihi ſingulare. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: *Immola Deo Sacrificium laudis*. Et ſi adhuc hoſtes infernales inimici mei Capitales contra me calcaneum ſuum leuabunt, inſidias tendent: Tunc pro mea defenſione ad expellendas Sathanicas ſuggeſtiones nomen potentiſſimum Domini mei IESV Chriſti, ac Sanctiſſimæ Matris eius inuocabo; & ab hoſtibus meis ſaluus ero. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, Iacob. 1. Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 2. qui vicerit, possidebit hæc, &c. Vincenti dabo edere de ligno vitę, &c.*

Quoties reſiſteris, toties coronaberis.

Ve-

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius : in atrijs domus Domini in medio tui Ieruſalem.

51 DEuotiſſimus hic pſalmus tandem cũ gratiarum actione clauditur: ſupra etiam ſolemnium votorum mẽtionem fecimus; ſcilicet; obedientię, paupertatis, & caſtitatis. Nunc verò de promiſſionibus, ſiuè votis ſimplicibus differendum eſt: quæ ſunt velut ſacrificia Deo offerenda gratiſſima. Quæ tamen citò, vel ſtatuto tempore hilari animo adimplenda ſunt: *Hilarem enim datorem diligit Deus. Ipſe enim non tardat promiſſionem ſuã. 2. Petri 3.* Non tardat Dominus vota ſoluentibus promiſſionem ſuam: & ſummopere illi diſplicet ſtulta promiſſio.

Promiſſio enim obligat, niſi res ſint ita mutatæ, vt ſi quis talem cogitaſſet euentum, non promiſiſſet, aut ſi non habuiſſet animũ ſe obligandi; ſed ſolum propoſitum aliquid faciendi. Vix autem quis promittentium ſe obligare intendit, niſi iuret: ſicut Propheta Dauid: *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitię tuę. Pſal. 118. aut voueat votum de re inutili, aut*

vana,non obligat : multo minus valebit, si editum de re impia,iniqua,peccaminosa &c. vt votum de ieiunio frangendo absq; necessitate ; blasphemando,mendaciter iurando, ludendo cum fraude, fornicando, adulterando; hostes persequendo,inimicū interficiendo,proximum lædendo &c. Vnde Hærodes non tenebatur adimplere votum , siuè iuramentum puellæ saltanti promissum : decollando scilicet Sanctissimum Domini nostri IESV Christi Precursorem : Votum enim non est vinculum iniquitatis.

Si quis dubitauerit an vouerit, vel quando vouit , an mentis compos fuerit: votum seruandum est, aut dispensatio petenda . Et de huiusmodi promissionibus, aut votis , qui vult alios auctores legat . Meus enim finis non est casus conscientiæ tractare ; sed tantum mentes seruorum , ac Dei ministrorum (Spiritu Sancto operante) illuminare , & promissa vota ad mentem reuocare . Quæ vt plurimum sunt; loca sacra cum debita licentia inuisendi: tales dies in cibis quadragesimalibus ieiunandi : *Genua mea infirmata sunt à ieiunio , & caro mea immutata est propter oleum. Psal.* 108. Tales vias, aut domus suspectas euitandi : *Ab omni via mala probibui pedes meos* : Eleemosynas faciēdi,neminem inanem dimittendi : *Veruntamen quod superest date eleæmo-*

mosinam: singulis noctibus in oratione vigilandi; *Vigilate, & orate; oportet semper orare, & nunquam deficere*. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi &c.* *Psal.* 118. Munditiam cordis omni diligentia seruandi: *Omni custodia serua cor tuum, ex ipso enim vita procedit* *Prouer.* 4. Vana æloquia fugiendi: *In multiloquio non deest peccatum: eloquia mala corrumpunt bonos mores*: Patienter aduersa omnia perferendi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Crapulam, & ebrietatem (quod nec nominetur in nobis) detestandi: *Cauete à crapula, & ebrietate. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Per sæpe, vel saltem semel in die conscientiam examinandi: *Quomodo dilexi legem tuam Domine; tota die meditatio mea est*. *Psal.* 118. Multum enim proficit, qui conscientiæ examen diligenter facit, ac peccandi occasionem omni diligentia fugit. Hæc, inquam, & his similia sunt vota tam proficientium, quam perfectorum Sacerdotum, Religiosorum, Parochianorum Domino Deo obseruanda. [In conspectu omnis populi eius] vt videant (vt supra diximus) *Opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Sic fecit Sancta Mater Theresia IESV Christi Fidelissima sponsa, quæ præter tria solemnia vota, Deo consulente, maximè arduum votum emisit, efficiendi semper quicquid perfectius esse intelligeret.

In

[In atrijs Domus Domini,&c.] Quidam expositores putant hic Prophætam loqui de Atrijs Cęlestibus, ideſt in Eccleſia triumphanti, in qua ſolum perfecto modo vota Domino redduntur; nō autem in militante, vbi noſtræ deuotiones cum innumerabilibus imperfectionibus ſunt permixtæ: Mihi autem conſultius videretur, ſi locus iſte de Eccleſia militante interprætaretur: Nam ſi atria ſunt in Cęlis, in terris non defuerunt: De quibus fit mentio tam in veteri, quam in nouo Teſtamento: Et ipſe Deus præcepit fieri Atrium tabernaculi. Exod. 27. Et Matt. 26. *Vſq; in Atrium Principis, &c. Et ſedebat foris in atrio.* Et ſi pro domo, cæleſtis patria intelligenda eſt; Iuxta illud; *O Iſrael, quam magna domus tua, & ingens locus poſſeſſionis tuę, &c.* Idem locus pro Terreſtri domo poteſt intelligi: Ideſt de Eccleſia militante; Iuxta illud; *Domus mea Domus orationis eſt, &c.* Et in Eccleſia militante ſeruanda eſt fides, reddendo ſcilicet vota: Iuxta illud; *Eſto fidelis vſque ad mortem, &c.* In triumphante verò Eccleſia; Fides, & ſpes, euacuabuntur; Sola charitas manebit, quæ nunquam excidet.

CAP.

CAP. V.

PSALMVS 129.

De Profondis clamaui ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

42 HVnc deuotissimum Psalmum Sancta Mater Ecclesia à Spiritu Sancto irradiata Animabus in Purgatorio existentibus præcipuè consecrauit : Et quidem non sine causa: Nam doctissimus, & nunquam satis laudatus Incognitus : per profundum Infernum intelligit. Iuxta illud. *Psal. 68. Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum &c.* Si ergò pro Inferno intelligendum est (quem, dum in via sumus pro viribus euitare debemus) etiam pro Purgatorij loco interprætari potest: Nam grauissimi Auctores ab eodem igne tam damnatorum, quàm purgantium animas cruciari putant; & nullam prorsùs esse differentiam pro qualitate criminum, nisi quod illæ æternaliter, istæ temporaliter tantum puniri debeant. Et Sancta Mater Ecclesia orat pro purgantibus, non autem pro damnatis. *Quia in Inferno nulla est*

redemptio. Sit ergò loci istius sensus [De profundis &c.] Ideſt Parochus, siuè Curatus, cuius officium eſt contractibus matrimonialibus aſſiſtere, paruulos baptizare; in ſcientijs (pro opportunitate temporis) educare; in fidei miſterys inſtruere; Confeſſiones audire; Communionem porrigere; periclitantes extremę oleo vnctionis inungere: Agonizantibus aſſiſtere; cadauera ſepulturæ tradere; ac tandem pro animabus purgantibus, vt citò liberentur, preces fundere: ac deuotè cantare, siuè perſoluere deuotiſſimam hanc breuem deprecationem [De profundis clamaui ad te, &c.] Ideſt: pro illis animabus valdè afflictis in profundo, siuè in Purgatorio, in medio ignium, niuium; grandinum; Rotarum; ſerpentium: Craticularum; tenebrarum; ventorum; Catenarum, Vnguium, ſcorpionum; Picis, Sulphuris; plumbi liquefacti, &c. exiſtentibus: Domine exaudi orationem, siuè vocem meam: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Iacob. 5.

Fiant

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

53 EAndem Sacerdos prosequitur orationem; humiliterq; Summam rogat clementiam, vt bonitatis suæ aures aperiat, ac voci suæ deprecationis intendat. Tu enim Domine dixisti; *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Si ergò vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester, qui in Cælis est, dabit bona petentibus se.*

Fiducialiter ergò debent omnes Christi fideles, præcipuè verò boni Pastores Parochianorum suorum animarum purgantium liberationem petere, sacrificia offerre, Defunctorum officium persoluere, Ieiunare, eleemosinas facere, Indulgentias applicare; omnium bonorum suorum spiritualium illas participes facere. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

Si iniquitates obseruaueris Domine ; Domine *quis sustinebit ?*

54 Hinc rursum Parochus in eadem perseuerat oratione , animarumque purgantium absolutionem postulat ; & ad placandam iustam Dei iustitiam , fragilitates, siuè generis humani innumerabiles iniquitates commemorat : dicendo : [Si iniquitates obseruaueris Domine &c.] Quasi dicat in nomine alicuius animæ purgantis : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum , & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Psal. 37. Et peccaui super numerum arenæ maris , & multiplicata sunt peccata mea , & non sum dignus videre altitudinem Cæli prę multitudine iniquitatis meæ : quoniam irritaui iram tuam , & malum coram te feci : Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum contra est semper .* Et si non sum dignus videre altitudinem cæli ; multominus ab his atrocissimis pænis mereor liberari , cælum ingredi , cælesti patria frui . Scio insuper, quod finiti ad infinitum , nulla est proportio,quod si velis tuam infinitam à me læsam Maiestatem vindicare, vsq; in ęternum non sum dignus exaudiri . Si ergò iniquitates meas obseruaueris ; [Domine quis sustinebit?] Ro-

go

go igitur, ac humiliter tuam infinitam boni-tatem deprecor, *Vt non intres in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. Et recordare Domine, quod ſeruo tuo Noe dixiſti: *Ne quaquam vltra maledicam terrę propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, et in peccatis concepit me mater mea*. At iterum *recordare Domine* (ſequitur Parochus) *quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum*: nempe pro animabus in illis pænis iacentibus, *Vt auerterem iuſtam indignationem tuam ab eis*. Etſi infinita Maieſtas tua læſa fuit; etiam infinita perſona: nempè dilectiſſimus Filius tuus pro nobis, ac pro illis ſatisfecit; ſanctiſſimum pro nobis effundendo ſanguinem. Te ergò quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine Filij tui redemiſti.

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

55 ET ideò (ait Parochus) in tua propitiatione confiſus, humiliter, ac ſupplex tuam deprecor Maieſtatem, vt per merita tuę Sanctiſſimę Paſſionis, & per lacrymas Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ, & per

intercessionem omnium sanctorum, liberare digneris animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni (idest de loco inferiori) & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartharus, ne cadant in obscurum: sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam. Quam olim Abrahę promisisti, & semini eius. Hostias, & preces tibi Domine laudis offerrimus: Tu suscipe pro animabus illis, &c. [Quia apud te propitiatio est] Idest: tu es ipsamet propitiatio; & propitiaberis peccatis earum, & spero liberationem purgantium animarum: [& propter legem tuam sustinui te Domine] Quid est lex Christi, nisi Charitas Christi? Vti ait Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio*, & ista charitatis lege Christus factus est propitiatio nostra; quia charitate carnem nostram assumpsi. Quid est ergo] propter legem tuam sustinui te Domine] nisi propter charitatem factus est homo mediator noster, & propitiatio [Sustinui te Domine] Idest speraui in te Domine, speraui, inquam, prædictarum animarum liberationem. Et si hodie orationem meam repellis, altera die auscultabis, illasque liberabis. Vnde hic ait Sanctus Augustinus: Lex Christi est charitas: Lex charitatis dat veniam peccatis. *Et charitas operit multitudinem peccatorum.*

Susti-

Sustinuit anima mea in verbo eius : speravit anima mea in Domino.

56 HIc loquitur ipsamet Anima in pœnis Purgatorijs detenta dicens ; [sustinuit anima mea in verbo eius] Id est ; Licet anima mea sit posita in maximis amaritudinibus, quod mihi in Inferno esse videtur . *Dolores Inferni circumdederunt me : praeoccupauerunt me laquei mortis* . Hæc omnia tamen libenter sustineo: millies enim his maiora merui supplicia ; quia negligenter, ac oscitanter in omnibus operibus tam spiritualibus, quam corporalibus me gessi; ad mala fui pronus , ac feruidus, & fuit specialis Dei misericordia, quod ad nihilum me non redegerit: *Misericordię Domini , quia non sumus consumpti* . Ideò libenter sustineo sententiam contra me prolatam eique libentissimè subscribo : Scio enim ipsum esse iustum Iudicem ; *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius : Deus Iudex iustus , &c. & non est acceptio personarum apud* Dominum. [In verbo eius) Pro verbo intelligitur aliquando solus discursus , siuè sermo : Iuxta illud Lucæ ; *Beati qui audiunt verbum* Dei , *& Custodiunt illud* : Et ex eodem : *Qui sunt hi sermones , quos confertis ad inuicem*

dolores, somnus recessit à me, & cæpi facere excubias, custodias, siuè vigilias; Psal. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei* [Vsq; ad noctem] *Venit nox, quando nemo potest operari* [Sperauit anima mea in Domino] quasi dicat; ex quo præcessit dies, siuè operandi tempus; & appropinquauit nox, in qua non est amplius tempus beneficiendi, peccata illacrymandi, Maiestati lesę satisfaciendi, sed tantum patiēdi, & vsque ad vltimum quadrantem, minutum, siuè nouissimum in pęnis manendi. Ideò omnem liberationis meæ spem pono in Deum meum. *Spes enim Domini in saluantem illos, & oculi Domini in diligentes se*; & sicut liberauit Israel de manu Regis Egyptiorum, ita ob suam immensam bonitatem ac misericordiam animam meam liberabit de hoc loco tormentorum.

Quia apud Dominum *misericordia: & copiosa apud eum redemptio.*

58 HIc Defunctus prosequitur, & pręsentem versiculum cum antecedente connectit; & cur spem suam in Dominum ponat ostendit; dicens [quia apud Dominum misericordia] *& miserationes eius* (vt alibi diximus) *Super omnia opera eius* : *Misericordias*

met Israel ex omnibus iniquitatibus [Per Israel intelliguntur captiui in pœnis Purgatorij detenti; qui postquam liberati fuerint per merita IESV Christi, ac in cælestis patria collocati: gratias Deo agentes; aiunt; *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni Tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro Regnum, et regnabimus in secula seculorum.* Apoc. 5. Ex omnibus iniquitatibus eius] *Ego sum* (Dicit Dominus) *Qui deleo iniquitates. secundum* ergò(ait Defunctus) *Multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*, & deduc me in vitam æternam. Amen.

ANTIPHONA.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Tempore Paschali aditur Alleluia.

℣. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleisō

Pater noster, &c. & ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi Domine miserere mei.

℟. Sana animam meam quia peccaui tibi.

℣. Conuertere Domine aliquantulum.

℟. Et deprecare super seruos tuos.

℣. Fiat misericordia tua Domine super seruos tuos.

℟.

℞. Quemadmodum sperauimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam
℞. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine
℞. Et ab alienis parce seruo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℞. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

AVres tuę pietatis mitissime Deus, inclina precibus nostris ; & gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum: vt tuis mysterijs digni ministrare, teque ęterna charitate diligere mereamur.

DEus cui omne cor patet , & omnis voluntas loquitur , & quem nullum latet secretum ; purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

VRe igne Sancti Spiritus renes nostros,& cor nostrum Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

MEntes nostras quesumus Domine Paraclitus, qui à te procedit,illuminet : & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem.

ADsit nobis quesumus Domine virtus Spiritus Sancti , quæ & corda nostra

cle-

clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

COnscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica: vt veniens Dominus noster Iesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ego volo celebrare Missam &c.

Ad laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis &c. Vide alias orationes ante, & post celebrationem pro opportunitate temporis dicendas; in Missali dispositas.



GRATIARVM Actio post Missam.

ANTIPHONA.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quę Antiphona in duplicibus tantum duplicatur: Et tempore Paschali additur in fine. Alleluia.

CAP. VI:

Canticum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino, et cetera.

Trium Puerorum Cantemus Hymnum.

ISti tres non erant formaliter pueri, sed viri; paruuli tamen, per simplicitatem, mentem sinceram, & Sanctitatem facti; ad quam Sanctitatem, simplicitatem, siue mentis puritatem debent omnes homi-

nes, præcipuè verò Dei Ministri deuenire, si velint Deo placere, ac cęli ianuam ingredi: Attestante summo Sacerdote IESV Christo: *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum Cælorum*. Homines astuti sunt Domino Deo, ac deuotis hominibus abominabiles. *Væ duplici cordę*. Deus enim (inquit Iob) *Appræhendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat*: Iob. 5. 13. Et è contra Innocentes, simplices, ac recti, summopere placent Deo, ac illi semper adhærent: *Innocentes, & recti adhęserunt mihi*. Psal. 24. isti facile perfectionis culmen attingunt; Domini benedictionem arripiunt: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco Sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: hęc est generatio quęrentium &c.* Ergò; boni Sacerdotes, lauamini (ait Dominus) *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Bene-

Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate, et superexaltate eum in sæcula.

1 PRæter ea, quæ supra diximus in præparatione Missæ circa gratiarum actionem de beneficijs generaliter acceptis; hic cum proprius sit locus, specialiter hæc omnia sunt addenda; & à pijs, ac deuotis Christi IESV Ministris post Sacratissimi Corporis, ac pretiosissimi Sanguinis IESV Christi sumptionem recitanda, meditanda, aut contemplanda. [Benedicite omnia opera &c.] Hic pius Sacerdos Sacro peracto ad laudandũ Deũ, omnes excitat creaturas: Primũ quidẽ generatim, tum singulatim descendendo à cęlestibus per eas, quæ in aere generantur ad terrestres, & aquatiles. Idem autem est [omnia opera] atq; omnes creaturæ Dei; imò idem est atq; omnia quæcumq; sunt, & vbicumq; sunt; omne enim, quod Deus non est, Dei opus est, à Deo factum, & ex aliquo temporis initio effectum. Commemorat autem eas creaturas, quæ, vel propter aspectũ hominibus sunt mirabiles, vel propter vsum amabiles, vel propter opinionem erroris, & im-

impietatem superstitionis, erant quibusdam gentibus Diuino cultu venerabiles; Vt cum mortales ex hoc hymno intellexerint, omnia, quæ in rebus creatis amant, mirantur, & quasi Diuina colunt, esse vnius optimi, potentissimi, & Sapientissimi opificis; hoc est Dei opera: omnem suum amorem, admirationem, venerationemq; ad illum vnum amandum, mirandum, colendumq; conuertant: ac ex corde frequenter dicant; *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi: Magnificate Dominum meum: & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Benedicite *Angeli* Domini Domino: Benedicite *cæli* Domino.

2 HIc deuotus Sacerdos videns se minimè posse sufficere ad Dei laudes decantandas, Sanctum suum Angelum Custodem, vna cũ supernis alijs Spiritibus inuitat; vt Domino Deo gratias debitas referre dignentur. Isti enim deuotissimi, ac purissimi Spiritus, vt piè creditur, & à grauissimis auctoribus astruitur, continuè Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, veluti exubias faciunt, & sacra facientibus assistunt, vti plures Sancti asserunt, quin imò ab ipsis perspecti fuerunt;

Et summam lætitiam ex Sacerdotum pietate, ardenti charitate, cordium puritate; paramentorum nitore, Rubricarum obseruatione trahunt. Neque mirum est; tanta est enim Sacerdotis dignitas, vt iure meritò ipsis supernis spiritibus æquiparetur, si non antecellit. Vnde Angelus, quem Diuus Ioannes in sua Apocalypsi adorare volebat; prohibuit illi; dicens: *Vide ne feceris; conseruus tuus sum; Deum adora, &c.* Et Sanctus Pater Franciscus dicere solebat, si inuenirem Angelum, vnà cum aliquo Sacerdote, prius manus Sacerdotis deoscularer, ac postea Angelo me ipsum inclinarem: & loquendo de sola humanitate; de quodam Religioso legitur, quod in mortis articulo exclamare cæpit; nollem esse Angelus, nollem esse Angelus, nollem esse Angelus, quia habiturus sum humanitatem Filio Dei communem.

In rigore tamen loquendo, hominibus Angeli sunt præstantiores, vt in Psalmo scriptum est: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis &c.* [BenediciteCęli Domino) Supra enim Sacerdos creaturas purè spirituales inuitauerat ad Deum benedicendum, sanctos scilicet Angelos, hic verò creaturas inuitat corporales, corpora nempè cælestia: Propter admirabilem scilicet cęlorum naturam, etiã cuiuscunq; corruptionis, dissolutionis, & interitus

teritus

teritus, omni æuo expertem. Propter immensam cęli magnitudinem, propter rotundam figuram; omnium figurarum, primam, simplicissimam, capacissimam, pulcherrimã, perfectissimam, & ad motum, qui in orbem sit peragendum, & sine vlla intermissione, aut remissione purgandum maximè omniũ idoneam, & accommodatam propter varietatem orbium, & immutabilem eorum dispositionem; cęleritatem, constantiam, & ad incolumitatem, & caducarum rerum salutem, temperationem, & modificationem. Propter tot syderum ornatum, decorem, & efficientiam: propter eccellentiam eius, à quo cæli motus efficitur, mouentur enim cæli à beatissimis illis mentibus ab omni corporis concretione segregatis.

Moraliter tamen, per Ly(Cęli) intelliguntur Apostoli, Sacerdotes, siuè Religiosi Apostolici, qui nempè vitam ducunt Apostolicam, & non suam, sed in omnibus gloriã Dei quærunt, ac alijs prædicant: Iuxta illud Psalmi: *Cęli enarrant gloriam Dei*. Hi namq; quoties cęlum aspiciunt, toties opera Dei mirantur; Iuxta illud Psalmi octaui: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.*

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino: Benedicite omnes virtutes Domini Domino.

3 HViusmodi aquæ cæleſtes (literaliter loquendo) nihil aliud eſſe poſſunt, quam aquæ, quæ in excelſo aere generantur; & ſuis temporibus (*& dabo pluuiam temporibus ſuis.*) in terras elabuntur, non abſq; hominũ, iumentorum, camporum, cunctorumq; viuentium vtilitate; & ideò rationi valdè cõſentaneum fuit, eas Moyſen in libros Geneſeos deſcribere, & denotare voluiſſe, & Dauidem in Pſalmo 148. atq; illos tres Iuuenes in hoc hymno, ad laudandum Deum inuitaſſe: hoc eſt earum contemplatione, & admiratione excitaſſe homines ad Diuinæ potentiæ, ac prouidentiæ laudes prædicandas. Hanc de aquis ſuper cæleſtibus ſententiã valdè Diuus Auguſtinus commendat: Ita enim ſcribit de hac ipſa noſtra opinione loquens in lib. 2. de Geneſi ad litteram. c. 4. Hanc ego diligentiã, conſiderationemq; laude digniſſimam iudico: quod enim dicit, neque contra fidem eſt, & in promptu propoſito documento credi poteſt.

Moraliter verò pro aquis ſupra cælos manenti-

nentibus, lacrymæ animarum Pastorum, peccata populorum illacrymantium, aliorumq; pænitentium intelliguntur: Nam imber lacrymarum humanarum vsq; ad Dominum Cælorum pertingunt. Lacrymæ enim iustorũ ad conuersionem peccatorum remedia sunt efficacissima: *Multum enim valet deprecatio iusti assidua Iacobi 5.* Et S. Ambrosius pijssimæ Monicæ dicere solebat: noli timere: Filius (scilicet Augustinus) tantarum lacrymarum non peribit. [Benedicite omnes virtutes Domini Domino] Hic Sacerdos inuitat virtutes ad benedicendum Dominum: idest: Illos Angelos, qui Cælos mouent; & hos in Euangelio Matt. 24. vocari à Domino virtutes Cælorum: cum ait in consummatione sæculi fore, vt etiam virtutes Cælorum commoueantur: scilicet, quia remouendi sunt Angeli à ministerio mouendi cælos, cum nullus post diem iudicij Cęlorum futurus sit motus: Et de his virtutibus censent intelligendũ, quod Ecclesia in præfatione Missæ canit. Cæli Cælorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant &c.

Benedicite Sol, et Luna Domino: Benedicite Stellæ Cæli Domino.

4 OMnis quidem huiusmundi structura cunctis numeris absoluta, tamquam

 ad

ad regulam facta, & ad lineam respondens cogit sui spectatores, & contemplatores, Deum omnium opificem agnoscere, ac venerari. Sed nihil est omnium, quæ aspectu sentiuntur, præclarius, admirabilius, & Diuinæ potestatis, ac magnificentiæ illustrius monumentum, quàm sol, dux, & moderator cunctorum Syderum, omniumq; caducarum rerum procreator, & conseruator. Nihl est enim eo, vel aspectu pulchrius, vel efficacitate potentius vel vsu, & vtilitate copiosius. Hic namq; tenebras fugat, rerum colores vel facit, vel ostendit, cuncta exhilarat, omnium animantium oculos, atq; animos insatiabili voluptate complet, & mundo salutarem, maximeque vitalem, & cunctas naturas augentem, nutrientem, sensuq; efficientem calorem largitur. Ex quo factum est, vt à viris doctis omnium rerum mortalium parens, & aliter ritè nominetur.

Et Dionysius Areopagita in lib. de Diuinis nominibus, & in 4. c. primæ partis solem facit euidentem, & expressam Diuinæ bonitatis imaginem, tùm quia Sol non cogitatione, aut electione, sed eo ipso, quod est illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt; Ita Diuinum bonum, ipsa sua substantia, omnibus, quę sunt pro captu cuiusq; totius bonitatis radios inijcit:

Tum

Tum etiam, quia vt ipse in eodem lib. infra in Cap. 5. quartæ partis tradit: Sol vnus cum sit, sensibilium tamen rerum substantias, & qualitates, vniformem infundendo lucem, renouat, nutrit, seruat, perficit, discrimi-nat, coniungit, refouet, fęcũdat, auget, immu-tat, firmat, implet, sustollit, viuificatq; om-nia, & quodlibet ex omnibus, modo sibi con-gruo, vnius, eiusdemq; solis est particeps, plu-rimorumq; participantium, sol vnus in se ipso causas ante vniformiter habuit. Sic Dionysi-us: sed vt verbo concludam; tanta est solis excellentia inter omnia, quę nostris sensibus patent, vt permulti gentiles solem, quasi Di-uinum numen adorauerint, & Diuino hono-re, cultuq; affecerint. Sic Brixiani nostri, dũ essent Idololatræ soli sacra (imò impia) fa-cere solebant; & fuerunt à Sanctis Fratribus Faustino, & Iouita increpati: illis dicentibus: Nos non sacrificamus soli, quem vos insani, vt Deum colitis; sed Deo, qui constituit so-lem. Sol omnibus Cæli luminaribus maior est quantitate, dignitate, potestate, effectuum multitudine, claritate, motus vniformitate, quia semper directè mouetur, & nunquam excedit terminos Zodiaci, nec vnquam fit retrogradus luminositate, quia scilicet omnia inferiora, & superiora illuminat, & illustrat. Sic debet esse de Episcopo, & de quouis alio

Prælato curam animarum habente, qui debet esse subditis maior meritorum quantitate, dignitate, potestate, & multitudine bonorũ operum, scientiæ, claritate, motus, idest, operationis vniformitate, & maturitate. Nunquã debet transire terminos Zodiaci; idest; fidei per peccatum; vel etiam iustitiæ per acceptionem personarum, sed semper in medio incedere per iustitiæ æquitatem. Esaia 30. *Hæc est via, ambulate in ea, non declinetis ex ea ad dexteram, vel ad sinistram.* Sed vniformiter, & maturè in suis actibus debet procedere, nec aliquo modo debet à via rectitudinis, & iustitiæ fieri retrogradus, nec per peccatum, vel acceptionem munerum, veritatis lumine ecclipsari: Esa. 60. *Non occidet vltra sol tuus.* Sed subditos suos debet illustrare scientia, siuè doctrina, pariter, & exemplo. Eccles. 82. *Sol illuminans per omnia respexit.* Quia lux subditorum debet ab eo æmanare. Et sicut sol mouetur contra firmamentum, vt ipsum temperet, sic Prælatus se debet opponere per orationes contra motum Diuinæ iustitiæ, vt ista temperetur per illum.

[Benedicite sol, & luna Domino] Luna dicitur, quasi luminum vna: idest principalis, secundum Isodor. quia soli in magnitudine, & pulchritudine est simillima. Et secundum Ambrosium in Hexameron. Luna est

K 3 de-

decor noctis, mater roris, ministra humoris, dominatrix Maris, temporũ mensura, æmulatrix solis, mutatrix aeris, lumen à sole mutuans ipsumq; modo speciali ad nos reijciens, & refundens. Talis est Beata Virgo MARIA, quia verè luminarium Cæli. Idest omnium Sanctorum Ecclesiæ est principalior; ac Soli: Idest: Christo Filio suo similior, quantum ad perfectionem. Hæc est enim decor noctis: Idest: huius turbulentæ vitæ, vel noctis: idest: peccatorum, quia scilicet peccatorum, & pænitentium est spes, solatium, atq; decor, Cant. 6. *Pulchra vt luna electa vt sol.* Et Eccl. 6. Decor enim vitæ est. Mater etiam roris gratiæ, & humoris deuotionis ministra. *Ros lucis, ros tuus.* Esa. 26. Ista dominatur mari: idest: peccatoribus tumultuosis, & fluctuosis, ipsos ad misericordiam reducendo. Hęc in gratiã seruorum Beatissimæ Virginis Genetricis Dei MARIÆ. Vel dic, quod Luna est Prælatus iustus, qui scilicet figuram, & conditionem suam debet mutare, & secundum loca, & personas, & tempora diuersis diuersimodè cõformare. Luna est omnis humoris augmentatiua, quia per suam occultam virtutem in eius incremento medullæ, cerebra animaliũ, & omne aliud humidum augmentatur, & per eius decrementum similiter minoratur, vt dicit Martianus; Vnde eius defectus, vel pro-

mirandi, summisque laudibus celebrandi; veluti est multitudo earum, secundum antiquos, & recentiores Philosophos, & vt multis locis Diuina Scriptura significare videtur inenarrabilis, & incompræhensibilis: Vide Pererium. Stellæ à stando dictæ sunt, quia stare videntur, licet moueantur. Sydera dicuntur à considerando: quia stellas secundum Isidorum Mathematici solent considerare. Et est stella lux aggregata sub orbe; quia quantò est maior aggregatio lucis in substantia stellę, tantò maioris quantitatis, pulchritudinis, & claritatis. Vocantur etiam stellæ splendidę vehicula lucis. Et sunt stellæ tenebrarum noctis illuminatiuę, vniuersi decoratiuæ, solis vicem, à quo lumen recipiunt suppletiuæ, motu radiorum aeris depuratiuæ, elementorum in mixto conciliatiuæ, caloris naturalis in rebus conseruatiuæ, & etiã causatiuæ, in solis præsentia, à quo lumen recipiunt, sui sunt luminis occultatiuæ.

Tales sunt per omnia (ait Pet. Berchorijus) viri iusti, multò magis perfecti Sacerdotes, animarumq; Pastores; qui dicuntur stellæ à stando, quia licèt moueantur per multas tribulationes, tentationes, & labores, semper tamen stant per constantiam, patientiam, & virtutem, nec vnquam per aliqualem impatientiam, aut imperseuerantiam cadunt. Isti di-

dicuntur Sydera, quia verè vita eorum aliorum est consideratio, forma, speculum, & exemplum. Et tales dicuntur lux, quia scilicet in se lucent per gratiam, alios illuminant per exemplum, & doctrinam. Nam quantò plus est in eis de lumine sapientiæ, & gratiæ, tantò maioris sunt virtutis, & ęstimationis apud Deum, & tantò sunt pulchriores honestate, clariores veritate, potentiores bonorum operum qualitate. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellę in perpetuas ęternitates.* Isti enim noctis, idest huius mundi expellunt tenebras, idest ignorantias, & errores per doctrinam, & prędicationem. Vniuersum, idest. Ecclesiam decorant per suę sanctæ vitę perfectionem; & sic solis Christi, à quo lumen gratiæ, vel sapientiæ recipiunt vicem, supplent in quantum suos fideles illuminant per instructionem, & in quantum pro ipso gerunt vicariatum, & legationem. 2. ad Corint. 5. *Pro Christo legatione fungimur.* Isti aerem; idest, Ecclesiam depurant per correctionem. Elementa contraria; idest discordes, & rixosos vniunt, & conciliant per pacis reformationem Deo etiam peccatores, qui sunt ei contrarij, pacificant per orationem. Isti causant calorem, idest, charitatem, & lumen suę perfectionis occultant per humilitatem; quia scilicet co-

ram

rant sole Christo parum reputant bona sua, vel propriam sanctitatem; latenter enim magni sunt, quia virtutes suas nolunt propalare; sed solum coram Deo student magni, & lucidi apparere. Vnde Baruch. 3. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis*, idest: in occulto, & secreto humilitatis, & luxerunt ei, qui fecit illas. Stella lucidissima fuit Sanctus Ludouicus, Tolosanæ Ecclesiæ Episcopus meritissimus, cuius festum hodie die 19. Augusti 1665. (quo hæc scribo) ab omnibus minoribus colitur, in cuius Missa sic legitur: Rosa vernans charitatis, lilium Virginitatis, Stella fulgens Ludouicus vas Sanctitatis, ora pro nobis Dominum.

Item Stellæ sunt, quòad substantiam, solidæ, non porosæ; quò ad formam lucidæ; quò ad actum fluidæ; quò ad figuram sphericæ, non angulosæ; quò ad superficiem planæ, non asperæ; quò ad naturam purissimæ; quò ad situm altissimæ; quò ad motum citissimæ; quò ad quantitatem maximæ, quò ad apparentiam minimæ; quò ad numerositatem plurimæ; quò ad potestatem, virtuosissimæ.

Sic verè, si vis esse stella, idest: Vir perfectus, ac bonus animarum Pastor, tu debes esse solidus per constantiæ, vel patientiæ firmitatem, non porosus, vt in te aliquid subintret

per malam voluntatem. Item sis lucidus per honestatem, vel per scientię claritatem. Fluidus per pietatem, sphęricus per veritatem, non angulosus per falsitatem. Sis vlterius planus per simplicitatem, vel per mititatem, non asper per crudelitatem. *Quia Beati mites*: Matth. 5. Iterum debes esse altissimus per contemplationem, quia in cęlo situs debes esse per affectionem. *Posuit stellas in firmamento Cęli.* Gen. 1. Et Diuus Paulus: *Nostra autem conuersatio in Calis est.* Item debes esse citissimus per obedientiam, & subiectionem. Baruc. 3. *Stella vocata sunt, & dixerunt, adsumus.* Maximus per meritorum cumulationem, minimus tamen per tuarum virtutum occultationem. *Nam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Luc. 14. Debes esse virtuosissimus per bonorum operum executionem. Stellæ etiam sunt plurimę, & innumerabiles, sic sunt Sancti, de quibus Sanctus Ioannes ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c.*

Benedicite omnis imber, & ros Domino:
Benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

5 HIc pius Sacerdos pro gratiarum actione, siue ad suum Factorem benedi-

cendum, tres impreſſiones inuitat, quę fiunt in aere multum vtiles ad vitam hominum, & ad fructificationem terræ naſcentium. Quæ ſunt imber, ros, & Spiritus: ideſt. Ventus. Et hæc omnia inanimata, ac ratione carentia, Dominum dicuntur benedicere, per quandam ſimilitudinem, in quantum perficiunt ea, ad quæ ſunt à Deo ordinata, & in quantùm ex talium conſideratione, creaturæ rationales, ad benedicendum, & laudandum Deum aſſurgunt. Sic faciebat Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus; qui gloriam ſui Creatoris in omnibus creaturis contemplabatur, ac ipſis imperabat: vt in eius officio legitur: *Hic Creaturis imperat, qui nutui ſubiecerat ſe totum Creatoris: quidquid in rebus reperit delectamenti regerit, in gloriam Factoris.*

[Benedicite omnis imber, & ros Domino] Ros (ſecundum Petrum Berchoryum) eſt impreſſio aeris, quæ ex virtute Cæleſti gignitur, & ad terrã inſenſibiliter deſcendẽs, herbas, & plantas irrigat, atque nutrit, & quidquid ardor diurnus combuſſerat, ros nocturnó refrigerat, & remollit, & licet ad ardorem ſolis de herbarum ſuperficie, quó ad apparentiam euaporet, ibi tamen virtutẽ ſuam manifeſtiſſimè derelinquit. Hic igitur terram inebriat, & fæcundat medullam in-

granis amplificat, & augmentat, ostrea in mari, & cōchylia margaritis impregnat, pullos coruorum iuuenes reficit, & impinguat. Per rorem potest intelligi bonus Ecclesiasticus, siuè Prçlatus, qui virtute cælesti, ac Spiritus Sancti inspiratione in aere religionis, siuè Ecclesiæ gignitur, & introducitur, & ibidem ad hominum vtilitatem eligitur, & creatur Zach. 8. *Cęli dabunt rorem suum*. Iste enim solet herbas, & plantas, idest simplices subditos, & Laicos maximè pauperes, humore doctrinæ, & eleemosinæ irrigare, & nutrire, & tentationum, & tribulationum igne combustos suis consolationibus temperare. Eccles. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* & sic ipsos facit in bonis operibus, & virtutibus fæcundare, & temporaliter, & Spiritualiter germinare: dicens illud Oseæ. 14. *Ego quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium*. Ostreas etiam; idest ipsos clausos Religiosos, & humiles lapidibus pretiosis, ideft donis, & beneficijs fęcundabit, ac pullis coruorum, idest pauperculis orfanis, timorem Dei instillabit.

[Benedicite omnis Spiritus Dei Domino] Ventus (quod idem est, ac spiritus) secundum Constantinum est vapor frigidus, ac siccus, ex terris, & aquis per calorem resolutus, aerem per sui incorporationem, fortiter

com-

commouens, & impellens. Per ventum, chariſſimi Sacerdotes, ac boni Religioſi, intelligi poteſt aliqua vana, & ventoſa perſona, ſicca per indeuotionem, calida, & feruens per auaritiam, & ambitionem, quæ quādo à terra, & mari, ideſt de alienis partibus veniens incorporatur in aere, ideſt in aliquo colleggio, patria, vel hoſpitio, & tunc pro certo non ceſſat totum aerem iſtum in quo eſt, ideſt. Societatem patriam, colleggium, vel hoſpitium tribulare, & nunc detractionibus, nunc iniurijs, nunc falſis machinationibus perturbare, & per diſcordias, & triſtitias agitare. Iac. 3. *Naues cum magnę ſint, à ventis validis circumferuntur.*

Ventus perflans aerem, & aquam, eſt inæqualitatis ſuarum partium cauſatiuus, quia ſicut dicit Iſodorus, aqua ſemper eſſet ęqua, niſi ventorum flatibus moueretur. Sic vere, quando ventus adulationis, vel carnalis affectionis perflat aerem, ideſt. Superiores, tunc aquam, ideſt ſubditos per perſonarum acceptionem reddunt totaliter inæquales, quia aliam partem aquæ iſtius exaltant per promotionem, aliam deprimunt per oppreſſionem. Ex inde oriuntur odia, rixæ, diſſenſiones, factiones, Regnorum, Prouinciarum, Religionum, Colleggiorum, Conuentuum; illacrymabiles deſtructiones regularis obſer-

seruantiæ irreparabiles, transgressiones, ac relaxationes, animarum perditiones: *Omne enim Regnum* (ait summa veritas) *in se diuisum desolabitur*? Quidam dicunt (& nautæ obseruant) causam venti esse nubes superius eleuatas in aere, quę ipsum sua mole hinc, & inde pellunt, quo impulsu fit ventus. Sic verè causa venti tribulationum in hoc mundo sunt sæpè nubes, idest: Iudices, & Superiores qui mole auaritiæ, qua premuntur aerem sibi subiectum, idest pauperes subditos depriment, & molestant, & sic in eis ventus, & turbo tribulationis, & excoriationis imprimitur, & causatur, Iaco. 2. *Non ne Diuites per potentiam opprimunt vos*. Hęc in gratiam miserorum subditorum, pace tamen bonorum Principum, ac Prelatorum; qui vnà cum caterua suorum subditorum, laudent, & benedicant Dominum nostrum Iesum Christum, ac Matrem suam Sanctissimam in ęternum.

Benedicite ignis, & æstus Domino, Benedicite frigus, & estus Domino.

6 CVr distinxerunt illi deuotissimi Iuuenes ignem ab æstu, aut qua ratione

hæc

hæc duo inter se differant, non omnes in eadem opinione conueniunt. Quidam vocabulo ignis, significare aiunt naturam ipsius ignis, simul etiam cum eius luce, ac splendore; vocabulo autem æstus denotari summam ignis potentiam, & efficacitatem calefaciendi, vrendi, conficiendi, ac consumandi.

Alij ignem interpretantur ipsum elementum ignis; ęstum verò supremam regionē aeris, in qua videlicet efficiuntur tot, & tam varia corporum igneorum genera.

Alij denique ad mentem Philosophi interpętantes, per ignem intelligunt purissimum ignem in sua sphæra, & loco naturali proximè sub cælo lunæ manentem. Per æstum autem nostratem hunc ignem, mixtum, & impurum, ob idq; pabulo indigentem, omniq; etiam, qua sustinetur materia comburentem, siuè consumentem.

Quantum verò ignis laudandi Deum, gratiasq; ei agendi, materiam offerat, manifestum fit, naturales eius affectiones, vires, effectusq; contemplantibus. Nihil enim est eorum, quæ intra lunæ ambitum continentur, in quo pleniorem, & illustriorem rerum cęlestium, ac Diuinarum similitudinem; quam in igne cernere liceat. De quo Beatus Dionysius ait; Sanctissimi viri (ait ille)

qui de Deo locuti sunt, summam illam, & nullis obnoxiam figuris substantiam, variè in igne describunt: Quippe qui Diuinæ proprietatis (si dici liceat) in rebus visibilibus plurimas seruat imagines. Nempè enim, ignis sensibilis, in omnibus(vt ita dixerim) est & per omnia sine vlla sui admixtione proficiscitur, & ab omnibus prorsus excipitur: cumque lucidissimus sit, ipse tamen non admota materia, in qua suam vim, suumq; ostendit officium, in se ipso occultus, atq; incognitus manet, neq; admittit habitum, nec aspectui patet, ipse omnia superat, & ea, quibus insederit, in suum traducit officium, omnibus quomodolibet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit; calore vitali omnia renouat, fulgoribus apertis illuminat: teneri, misceriquе non potest: discernendi vim habet, atq; immutabilis est, superiora semper petit, & in acumen tendit, agilis, celer, sublimis, nullaq; vi, vt inferiora petat adigi potest: semper mobilis, eodemq; motu vigens, alia mouet, & complectitur omnia, cum tamen astringi ipse non possit: cumq; alio ipse non egeat, sibi ipsi (tamen clam) incrementa suppeditat: atq; in qualibet suscipiente materia suę Maiestatis potentiam indicat efficax, potens, omnibus inuisibiliter præsens: si negligatur, non esse videtur: at-

tri-

tritus autem veluti irritatione quadam, naturaliter, ac propriè, continuò lucentem excitatur in flammam; cùmque affatim omnibus participationem sui locuplitissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur. Complures item alias ignis proprietates inuenies, Diuinæ actioni, quantùm humanis imaginibus fas est, propè accedentes.

Hoc itaq; non ignorantes (prosequitur Dionysius) viri illi diuina sapientia repleti, cælestes substantias ex igne maximè effingunt, vt illarum Diuinam speciem ad Dei imitationem tendere pro viribus indicent. Hæc Beatissimus Dionysius, à Pet. Bercorijo, & Pererio, citatus. Licet præterea (ait Pererius) in igne animaduertere Dei prouidentiam, qua rebus mortalibus, & caducis mirè consultum est. Nam quia ignis est mundo per necessarius, eiusque vis, & vsus per cunctas fermè res, tam naturales, quam humanas, pertinet, ac permeat, propterea Deus, ne rei tam necessariæ vnquam mundo deesset copia, facillimam ignis generationem fecit. naturam item dedit igni maximè fertilem, suiq; fecundam: se namq; ignis ipse parit; & multiplicat, minimis crescens scintillis, paruoq; ortu, nisi cum deficiat materia, in immensum extenditur: & auidissimam voracitatem vndecumq; sine sui damno pascit.

Quis enumerat tam multa, & varia ignium genera, per omnem mundum à Deo sparsa. Quis æstimet immensitatem illius ignis elementaris, quem Philosophi proximè sub lunæ orbe collocant? quam crebri, & multiformes ignes generantur in suprema aeris regione? Quantum fulgurum, & fulminum media? Super terram verò quis memoret tot, & tam varias ignium formas tum naturalium, tùm artificialium? Ac ne defectio materiæ copiam ignium minueret, plurima condidit Deus, & quasi comparauit, ad ignē facillimè concipiendum, tenacissimè seruandum, copiosissimè alendum, amplissimè dilatandum maximè idonea, vel vt est oleum, cera, pix, sulphur, & quę vix numerari queant, lignorum diuersa genera. Nec tam facilis est ignis generatio, sed etiam multiplex, gignitur ignis ab igne, gignitur luce, gignitur motu, gignitur corporum attritu, gignitur solis radiorum reflectione, concaua namq; specula, solis aduersa radijs facilius etiam, quam ignis accendunt ignem. Denique, modo fontium, & fluminum ex intimis terræ partibus perenni effluxu multifariam ingens vis ignium emanat, quæ breuitatis gratia relinquo, sicut & multa alia prodigia, siuè miracula, quibus multoties vsus est Deus ad vindictam malorum, ad laudem verò bono-

rum

rum, sicut sacræ paginæ in diuersis locis testantur.

Restat modò vt aliquid pro nostra instructione dicamus. Ignis ergo inter alia habet virtutem metallorum purgatiuam, & à rubigine mundatiuam, humorum crudorum in corpore digestiuam, fructuum maturatiuam, & sui ipsius in rebus omnibus diffusiuam, & inferiorum eleuatiuam. Sic ignis verbi Dei animas à peccatorum rubigine depurat, & mundificat, humores crudos, & conscientias induratas, & carnales digerit, & mollificat, fructum etiam bonorum operum perficit, & maturat, & rebus omnibus, id est: in omnium auditorum auribus defluit, & se communicat, & sic ipsos ab inferioribus, & mundanis ad superiora eleuat, & ad cælestium amorem attrahit, & attollit. Psal. 10. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Et Prouer. 3. *Omnis sermo Dei ignitus*. Et Hiere. 23. *Verba mea quasi ignis*, dicit Dominus, *Et quasi malleus conterens petram*. Et Hier. 10. *Factus est in corde meo, quasi ignis estuans, &c.* Ista omnia possunt dici de bono Prælato, Missionario, Concionatore, Confessore, Præceptore &c.

[Benedicite frigus, & æstus Domino] frigus, seu frigiditas est quædam ælementaris qualitas, & actiua proprietas motum habens à circumferentia versus centrum, & ideò fri-

Quis enumerat tam multa, & varia ignium genera,per omnem mundum à Deo sparsa. Quis æstimet immensitatem illius ignis elementaris,quem Philosophi proximè sub lunæ orbe collocant ? quam crebri, & multiformes ignes generantur in suprema aeris regione ? Quantum fulgurum,& fulminum media ? Super terram verò quis memoret tot, & tam varias ignium formas tum naturalium, tùm artificialium ? Ac ne defectio materiæ copiam ignium minueret, plurima condidit Deus, & quasi comparauit, ad ignē facillimè concipiendum,tenacissimè seruandum,copiosissimè alendum, amplissimè dilatandum maximè idonea, vel vt est oleūm, cera,pix,sulphur,& quę vix numerari queant, lignorum diuersa genera. Nec tam facilis est,ignis generatio, sed etiam multiplex,gignitur ignis ab igne, gignitur luce, gignitur motu,gignitur corporum attritu, gignitur solis radiorum reflectione, concaua namq; specula, solis aduersa radijs facilius etiam, quam ignis accendunt ignem. Denique, modo fontium, & fluminum ex intimis terræ partibus perenni effluxu multifariam ingens vis ignium emanat, quæ breuitatis gratia relinquo,sicut & multa alia prodigia,siuè miracula,quibus multoties vsus est Deus ad vindictam malorum, ad laudem verò bono-

rum

rum, ficut facræ paginæ in diuerfis locis teſtantur.

Reſtat modò vt aliquid pro noſtra inſtructione dicamus. Ignis ergo inter alia habet virtutem metallorum purgatiuam, & à rubigine mundatiuam, humorum crudorum in corpore digeſtiuam, fructuum maturatiuam, & ſui ipſius in rebus omnibus diffuſiuam, & inferiorum eleuatiuam. Sic ignis verbi Dei animas à peccatorum rubigine depurat, & mundificat, humores crudos, & conſcientias induratas, & carnales digerit, & mollificat, fructum etiam bonorum operum perficit, & maturat, & rebus omnibus, ideſt: in omnium auditorum auribus defluit, & ſe communicat, & ſic ipſos ab inferioribus, & mundanis ad ſuperiora eleuat, & ad cæleſtium amorem attrahit, & attollit. Pſal. 10. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Et *Prouer.* 3. *Omnis ſermo Dei ignitus*. Et *Hiere.* 23. *Verba mea quaſi ignis*, dicit Dominus, *Et quaſi malleus conterens petram*. Et Hier. 10. *Factus eſt in corde meo, quaſi ignis æſtuans, &c.* Iſta omnia poſſunt dici de bono Prælato, Miſſionario, Concionatore, Confeſſore, Præceptore &c.

[Benedicite frigus, & æſtus Domino] frigus, ſeu frigiditas eſt quædam ælementaris qualitas, & actiua proprietas motum habens à circumferentia verſus centrum, & ideò frigidi-

giditas est naturaliter compreſſiua, condenſatiua, & ſoliditatis, & cohærentiæ partium effectiua, ſubſtantiæ etiam conſtipatiua; & per motum circumferentiæ ad centrum eſt ipſius aggrauatiua, & maioris ponderis inductiua; albedinis etiam eſt in corporibus cauſatiua. Per iſtam frigiditatis qualitatem poſſum moraliter frigus Diuini Timoris, vel etiam frigus, & aſperitatem tribulationis, ac paupertatis intelligere. Iſta enim ſunt, quæ ipſam ſubſtantiam mentis, in quam agunt, ac circumferentia terrenorum ad centrum propriæ conſcientiæ deprimunt, & eam ſursùm ad mundi dignitates, & proſpera euagari, vel aſcendere non permittunt, & ideo cor humanum in bono per conſtantiam conſolidant, & conpingunt, & in ipſo grauitatem maturitatis, & prudentiæ deliberationis quæ & ſapientiæ introducunt, & etiam albedinem caſtitatis, & candorem innocentiæ, & puritatis. Conſtat enim, quod mundi paupertas, & tribulatio, Diuinuſq; timor, & mentis conturbatio faciunt hominem humiliorem, ſolidiorem, innocentiorem, & puriorem, & etiam per caſtitatem in corpore mundiorem, quia ſicut dicitur: *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Prouer. 15. Vel dic, quod frigiditas ſignificat vitium indeuotionis, quæ ſcilicet à Dei amore infrigidat mentem no-

ſtram

ſtram,quia pro certo iſta eſt, quæ mentem à circumferentia cæleſtium inferius, ad centrum bonorum terreſtrium per auaritiam deprimit. Iſta eſt,quę per obſtinationem mentem condenſat, conſolidat, & conſtringit,& hominem per curioſitatem, & hypocriſim dealbat,colorat, atq; pingit: ità quod ei poteſt dici illud Act. 23. percutiet te Deus paries dealbate &c. Igitur boni Sacerdotes, in Dei amore igniti, & ob eius timorem frigidi, benedicite Deum in æternum.

Benedicite rores, & pruina Domino: *Benedicite gelu, & frigus* Domino.

7 DE rore,& frigore dictum eſt ſupra, remanet modo,vt aliquid de pruina diſſeramus. Pruina ergò nihil aliud eſt, quàm ros congelatus ſecundum Bedam. In hyeme enim ros ad terram deſcendens congelatur,& in pruinæ albę ſubſtantiam commutatur,à quo flores,& herbæ comburuntur,& marcidę efficiuntur, modico tamen ſolis radio euaneſcens totaliter diſſipatur. Tale eſt peccatum,quia rore gratiæ,& charitatis congelato,pruina peccati gignitur, quo flores,& herbę virtutum marceſcere comprobantur. Iſtud tamen modico calore ſoluitur, quia

ſcilicet non poteſt eſſe in homine ita modicus charitatis gradus, quin peccati ſubſtantia deleatur. Sap. 19. *Facilè diſſoluebatur ſicut glacies.* Et ſicut videmus, quod gelu, & pruina fortior ſequitur, cum ſuperior nox ſerena, & ſtellarum lumine decorata fuerit; Sic verè gelù peccatorum in præſenti, & gelu tormentorum in futuro fortius in eos inualeſcit, quibus ſerena nox præſentis vitæ fuerit, & in quibus mundanæ proſperitatis claritas antecedit Zach. 14. *Non erit lux, ſed frigus, & gelu.* Ideſt in Inferno. Quæ tormenta omnia debent tàm Parochi, quàm Parochiani pro viribus euitare, Deo fideliter ſeruire, ac in cęleſti patria illum ęternaliter benedicere, ac laudare.

Benedicite glacies, & niues Domino: Benedicite noctes, et dies Domino:

8 NIx ſecundum Ariſtotilem generatur de vapore frigido, & humido, vbi eſt calor repugnans, ſed tamen frigus prædominatur, & vincit calorem, & ſic vaporem congelat, & in eum formam nobiliorem, quam poteſt, introducit, ſcilicet albedinem. Sic (Caſtiſſimi Sacerdotes) licèt in vapore noſtro, ideſt, in carne noſtra repugnet motuum,

&

& tentationum calor,& concupiſcentia : tamen ſi ibi prædominetur frigus timoris,non obſtante huiuſmodi calore, ibi poterit generari albedo niuea Caſtitatis . Ideò Sap. 16. nix,& glacies ſuſtinebant vim ignis . Et generaliter nix caſtitatis ſummoperè in vapore humido,& frigido; ideſt, in perſona Deo dicata, Sacris ordinata, quę eſt humida per deuotionem,compaſſionem, & dulcorem , & frigida per Dei reuerentiam , & timorem generatur . Et ſicut nix in montibus, pluſquã in vallibus perſeuerat . Sic in contemplatiuis plus viget caſtitas, quam in actiuis-figura. Matth. 17. vbi dicitur, quòd in monte fuit Dominus transfiguratus,& habitus veſtis ſuę candidus, vt nix factus: Et in niue dealbabuntur in ſelmon, *Mons Dei,mons pinguis* . Et alibi. *Lauabis me* (ideſt lacrymis, ac cæleſti gratia) *& ſuper niuem dealbabor* . Vel dic , quod color albus , & niueus paradiſi gloriam ſignificat, de qua Eccl. 43. *Pulchritudinem candoris admirabitur oculus.*

[Benedicite noctes,& dies Domino] Nox à nocendo eſt dicta . Nocet enim oculo , quia actiua perfectione, ſcilicet actu videndi ipſum priuat,& rerum colores, inquibus delectatur occultat . Nox tamen moraliter loquendo,non nocet animæ oculis, imò ſeruorum Dei mentes illuminat,ac pijs, & deuotis

Sa-

Sacerdotibus, passionem IESV Christi meditantibus, vel contemplantibus delicias præbet: Psal. 138. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*. Et alibi. *Et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrę eius, ita, & lumen eius*. Nox enim est animæ valdè vtilis, in quantum scilicet poros sensuum, & affectuum, solet claudere, & somnum contemplationis mentis, & quietem melius prouocare, quia prò certò cum iustus exterius tenebris tribulationum tegitur mentales affectus in se ipsis clauduntur, & mens à vanis desiderijs dulciter quietatur, ac in Deo delectatur, & ad Deum suum laudandum, ac benedicendum excitatur, & quæ pro salute postulauerat, statim accipiet: Psal. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui.*

Nox iterum nihil aliud est, quam defectus, seu carentia lucis, & presentiæ solis. Vmbra enim terræ inter nos, & solem posita, lucem nobis intercipit, & sic noctem, & obscuritatem in aere introducit. Nox significat mortem, quę nihil aliud est, quàm carentia lucis vitę. Quando enim vmbra terræ, idest: defectus nostrę terræ mortalitatis inter nos, & solem ęternitatis ponitur, tunc necesse est, quod nox, idest: mors, & vitæ carentia generetur. Gen. 1. *Vocauitq; tenebras noctem, ambulate dum lucem habetis, vt tenebræ non vos comprehendant.*

[Be-

[Benedicite noctes,& dies Domino] Dies (relictis alijs definitionibus) est latio solis super terram,& ideò dies est lętitiæ generatiua, securitatis inductiua, colorum omnium ostensiua, & quantò nox turbulentior præcesserit, tantò est subsequentis diei serenitas magis grata: Talis est dies,idest claritas gloriæ Paradisi,quàm scilicet solis Christi clara præsentia incessanter illuminat: ibi enim est perfecta securitas,& lætitia. Ibi est colorum; idest:rerum omnium scientia, & veritas, & notitia. Ibi est ipsius solis Christi grata societas,& præsentia, & quantò nox præsentis vitæ turbulentior pręcesserit; tantò ibi est gratior serenitas,& complacentia. Ioelis 3. *In illa die stillabunt montes dulcedinem &c.* Pręsentia solis facit nobis diem, & quantò sol nobis amplius appropinquauerit; tantò dies longior, & maior erit; Quanto autem sol à nobis est remotior, tantò necessariò est dies breuior. Talis est dies scientiæ, & claritas fidei; & sapientiæ, vel etiam claritas virtutum,& moralis apparentiæ, quia prò certo talem diem continuat, & perficit præsentia gratuita solis Christi, quia prò certo quantò sol iustitiæ nobis per charitatem, & gratiam propinquior fuerit, tantò dies veræ notitiæ, vel honestæ apparentiæ maior erit, & omniũ rerum color, & veritas apparebit, quantò

verò iste solà nobis per peccatum ampliu elongatur, tantò iste dies per ignorantiam, & insolentiam amplius breuiabitur. *Ps. omnes, qui se à te elongant peribunt*. Et Hier. 6. in persona peccatorum dicitur. *Væ nobis, quia declinauit dies & factæ sunt longiores vmbræ vesperi.* Dies, quæ clara est, stellas occultat, nox verò, quæ est obscura ipsas ostendit, detegit, & demonstrat; sic verè dies resplendens, idest Sacerdos iustus, & timoratus diuinæ gratiæ, luce illustratus, numquam solet stellas; idest virtutes suas, siuè gratias ostendere, nec eas per inanem gloriam propalare. Nox verò, idest peccator: stellas, idest gratias, quas habet, vel habere putat, per iactantiam, vel inanem gloriam ostendit, & bona sua omnibus propalat; imò qui non est secretus, bonis omnibus expoliatur, secretus verò ditabitur, & abundabit: & tàm in via, quam in patria Deum suum laudabit. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Matt. 13. Et Rex Dauid ne videretur ab hominibus, media nocte ad laudandum Deum surgebat; Et Ecclesia hortatur omnes ad euigilandum: dicens: non sit vobis vanum mane &c.

Bene-

Benedicite lux, et tenebræ Domino: *Benedicite fulgura, et nubes* Domino.

9 Diligenter contemplantibus lucis proprietates,& effectus, per quam videri eius vim,& naturam, eamq; clarissimum Diuinæ bonitatis, & pulchritudinis testimonium simul,& simulachrũ quoddam, atque imaginem existimari necesse est. Ante omnia est incomparabilis eius munditia,& puritas. Nihil enim luce mundius & purius in rebus corporeis esse, ac ne fingi quidem potest: nam cum omnia permeet, etiam sordidissima, omniaq; purificet, atque emundet, nulla tamen sordium contagione inquinatur, nulloq; suæ puritatis damno afficitur. Deinde perquam mira est ipsius potentia, & efficacitas. Etenim lux est generale quoddam,ac principale instrumentum causarum cælestium,quo vis omnis syderum, omnisq; cælorum defluxus,& effectus,ad nos perfertur, & quo vno fit in hoc nostrati mundo quicquid Cæli potentia in eo fit. Postea lucis summa est iucunditas. Quapropter Salamon in lib. Ecclesiaste. Cap. 11. ait. *Dulce lumen*

lumen, & delectabile oculis videre solem. Et senex Tobias dixit Angelo Raphaele: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Scriptura quoq; sacra solet maximam aliquam lætitiam, iucunditatem, bonorum abundãtiam, & fęlicitatem, vocabulis ad lucem pertinentibus exprimere. Nec tantum lux ipsa per se iucunda est, sed etiã facit, vt alia omnia cum iucunditate, & voluptatę cernantur. Nihil præterea eorum, quæ sub sensus nostros cadunt, luce pulchrius, venustius, & amabilius est; Quin, vt ait Damascenus, lux est pulchritudo, & ornamentum omnis visibilis creaturæ: aufert enim lucem, & omnia in tenebris ignota iacebunt, nec proprium decorem, & venustatem ostendere poterunt. Iam verò, quis pro dignitate, eloqui possit, quanta sit lucis fæcunditas? quanta in sui diffusione, ac multiplicatione velocitas: Etenim lux quousq; vis eius pertingere potest, omne id spatium non vna tantum ex parte, sed vsquequaq; & quoquò versus puncto temporis sparsa claritate sua, penitus obtinet, & implet.

His accedit nihil esse in rebus corporeis ad percipiendam rerum cælestium notitiam, & ad exprimendam similitudinem quandam rerum Diuinarum æquè quam lux est idoneum, & accommodatum. Tanta est deni-

que

que lucis pulchritudo, & excellentia, quod mirum non est, si ipsemet Deus in diuersis Sacræ Scripturæ locis comparari voluerit luci. *Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lux in tenebris, lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllę, qui lucem habitat inaccessibilem. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Illumina faciem tuam super Seruum tuum. In lumine tuo videbimus lumen.*

Lux sunt omnes boni Sacerdotes, Missionarij, Concionatores, ac animarum Pastores, de quibus specialiter dictum est; *Vos estis lux mundi; Sic luceant opera vestra bona &c. Fuistis aliquando tenebrę* (idest in peccatis) *Nunc autem lux in Domino, vt Filij lucis ambulate:* idest, Filij IESV Christi, qui lux vocatur: *Ego sum lux mundi*. Cum igitur nihil sit luce purius, efficacius, iucundius, pulchrius, fæcundius, velocius, & ad intelligendas, atq; exprimendas res Diuinas accommodatius, meritò tres illi iuuenes inter cætera, quæ in hoc hymno prouocarunt ad laudandum Deum, lucem commemorarunt, vt in qua multa sint, quæ ad commendationem pertineant summi Opificis, qui illam condidit. Vide plura apud Diuum Dionysium de Diuinis nominibus in c.4.

[Be-

[Benedicite lux,& tenebræ Domino] Tenebra est lucis carentia,dicta à tenendo, quia tenet, & ligat oculos ne videant, luci enim contrariatur. Tenebra timorem incurrit, vel incutit, pulchritudinem colorum tollit, verecundiam dirimit. (Quia scilicet homo in tenebris non verecundatur committere turpia, & inhonesta) somnolentiam nutrit. Sic peccatum luce gratię nos priuat,& ei opponitur, timorem desperationis inducit,colorem,& pulchritudinem honestę conuersationis tollit,somnolentiam malę delectationis nutrit;inuerecundiam,obstinationem, & iactantiam parit. Visum etiam discretionis ligat,& tollit,quia scilicet homo, qui est in peccato non videt,nec considerat illa,quæ ad salutem pertinent.Prouer.4.*Via impiorum tenebrosa,nesciunt,vbi corruunt*. Dices: Si in tenebris fiunt huiusmodi peccata,quomodo tenebræ benedicunt Domino? Respondeo;hoc prouenire ex peccatoris malitia, qui in tenebris maiori cum securitate, quam in luce committit peccata præcipuè turpia, siuè inhonesta,& furta; nam qui male agit, odit lucem: alioquin tenebræ,vt sunt à Deo creatæ seruiunt Domino,ac illi benedicunt, sicuti lux: *Quoniam omnia seruiunt tibi:*& sunt illi dilectæ, sicut aliæ insensibiles creaturæ: Quia: *Nihil odisti eorum, quę fecisti,omnia in sapientia fecisti.*

(Be-

[Benecite fulgura, & nubes Domino] Fulguratio, & fulmen eiusdem sunt materiæ, & non differunt secundum Senecam, nisi prout remissum, & intensum: Vndè dicit, quod fulguratio est ignis futurus fulmen, si tantum habuisset virium: fulguratio enim procedit ab eadem nube, qua fulmen; sed non habet tantum virium, quod cadat propter raritatē materiæ, quia æuaporat antequam cadat. Rectè talis videtur differentia inter venialia, & mortalia. Ab eadem enim nube, idest ab eadem mente possunt procedere; quia tamē materia subiecta non est eadem, ideò solet habere diuersitatem; fulguratio enim venialium si incendatur in fulmen peccati mortalis conuertitur; si verò in sua proprietate permaneat, facile deficit, & euaporat, & mortis ęternæ periculum non operatur. Est tamen fulguratio quædam fulminum, & tonitriuorum præambula significatio & comminatio, quia proculdubio sæpe fit, quod præcedentia, & assuefactio venialium, periculum minatur mortalium: quia aliquando venialium coruscatio, siuè fulguratio, est tonitrui fortis tentationis; & fulminis mortalis operationis inductio, & dessignatio; *Qui modica spernit paulatim decidet*. Ideo carissimi Sacerdotes, qui perfectionem queritis, orationiq; vacatis, non solum mortalia, sed etiam venialia

pro viribus debetis euitare, ac puro corde, Deo Sacrificare, illumq; in æternum benedicere, ac laudare.

[Benedicite fulgura, & nubes Domino] Nubes, quantò ex purioribus vaporibus est composita, tantò magis est luminis receptiua, si autem è crassis fumositatibus sua substantia componatur, tunc obscuritatem generans solaris est luminis interceptiua, & à nostris aspectibus ablatiua. Sic quando conscientia ex puris vaporibus, ideſt affectionibus componitur, tunc lumen cælestis gratiæ recipit, & doctrinæ. Sed si è crassis vaporibus, idest, è carnalibus affectionibus constituatur, tunc obscuritas ignorantię in ea inducitur, & lumen cælestis gratiæ, & doctrinæ, & solis Christi influentia ab oculis intellectus occultatur. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, nubes magna, & ignis inuoluens.* Ezec. 1. Vel dic, quod nubes clara, & pura est religio, vel bona societas, quæ est expuris vaporibus, idest expuris, ac bonis personis, suam regulam, ac statuta obseruantibus (constituta, turbida verò est mundi prosperitas, vel mala, aut maligna societas. *Et qui malignantur exterminabuntur, &c.*

Bene-

Benedicat terra Dominum; Laudet, & superexaltet eum in sæcula.

10 TErra (inquit Pererius) vt situ, ita etiam natura sua infimum in lacrymabili hoc mundo locum habet, ea tamen tam multis, & præclaris à Deo rebus, quasi dotata,& ornata est, vt inter omnes elementaris mundi partes, facilè principatum obtineat. Quid enim tam varia terræ facie, & multiformi partium eius distinctione, visu pulchrius,aut iucundius esse potest? Est enim terra montibus sublimiter ardua; vallibus humiliter depressa, campis æquabiliter plana,collibus molliter elata, specubus multifariam caua,tot, tantisq; fluminibus, lacubus, stagnis, fontibus, ad fertilitatem simul,& amænitatem irrigua. Mari partim circumfluo, partim varijs locis magna ipsius pulchritudine,& hominum vtilitate, interfluo, virens herbis, decora floribus, fæcunda fructibus,vestita arboribus, altissimis, densissimisque inumbrata,atq;opacata Syluis, tanta multigenarum animantium diuersitate habitata,tanta ædificiorum varietate, amplitudine,& magnificentia exornata, tanto mortalium studio, diligentia, & artificio tractata,

& culta. Nec minus sunt, miraq; inter viscera sua concludit,& occultat; scilicet admirare immensos thesauros, pretiosissimarum rerum diuitias dico,& delicias; omnemque humani luxus,& fastus materiam. Et sacra Scriptura in lib. Ecclesiastici cap.40. matrem hominum terram apellauit. Non tam vt terram commendaret, quam vt nostram superbiam deprimeret; vilissima omnium mortalium è terra origine ante oculos posita. Vide plura apud Pererium.

Terra secundum Isidorum Lib.4.cap.1.in mundo est posita, & à centro Cæli interuallis æqualibus separata. Et dicitur terra, quia teritur,& humus, quia humore maris, cui coniungitur,humectatur. Tellus etiam dicitur,eò quòd fructus eius tollimus. Arida autem dicitur, eò quòd natura propria arida sit,& sicca,vel quia araturæ, & culturæ dedicata sit. Et dicitur opis,eò quòd opem cōferat mortalibus,& creaturis, quas nutrit, & sustentat. Rectè per omnia talis est Virgo MARIA, quia verè semper est in medio per sui interuentionem,quia semper se ponit mediam,& concordiam Dei, & hominum facit, & componit. Ezech.5. *Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam*. Est etiam semper in medio,quia est virtus, vel quia est ęqualitas. Et ista dicitur terra, quia verè ipsa fuit pau-

per-

pertatè,& tribulationibus sēper trita. Dicitur etiā humus, quia verè ſemper fuit per deuotionem,& gratiam humectata; & hoc quia cum mari,ideſt cum Deo, vel cum amaritudine pænitentiæ fuit per charitatis vinculum colligata. Qui fundauit terram ſuper aquas. Dicitur etiam tellus,quia fructus eius,ſcilicet gratiam, & miſericordiam prò certo tollimus,& ab ea recipimus. *Quia terra dedit fructum ſuum.* Et ideò dicitur opes,quia opem, & auxilium fert, ac omnibus deſolatis confert. Arida etiam dicitur, quia verè iſta fuit ſicca ſine humore voluptatis,per caſtitatem, & arata per pænitentiæ auſteritatem. *Vocauitq;aridam terram.* Gen.1.Pro terra intelligitur etiam Eccleſia in medio mundi collocata,multis tribulationibus triturata,chariſmatum humoribus irrigata, donis, ac virtutibus fæcundata,& ad opem cunctorum hominum dedicata. Terra licet naturaliter ſit ſicca,tamen vndique mari cingitur, & ſuis brachijs percutitur,& vallatur; & per occultos meatus eius aquis, ac humoribus humectatur, & ne præ ſiccitate in pulu̇erem reducatur, præſeruatur. Sic chariſſimi Sacerdotes, per mare Deum intelligo propter omnium bonorum plenitudinem, qui fluctibus tribulationum terram, ideſt bonos ſuos ſeruos percutit. *Quos diligo corrigo, & caſtigo*: Sed ne pe-

reant, per suam occultam prouidentiam humoribus consolationum ipsos interius irrigat, & humectat, *Quia semper facit cum tentatione prouentum.* 1. ad Corint. 10. & quantò tales huiusmodi fluctibus amplius vapulantur, tantò in bono per virtutem constantię consolidantur. Nam virtus sicuti in infirmitate, sic etiam in tribulationibus perficitur.

Quando diuersi vapores, & venti in ventre terrę conclusi inuicem concutiunt; tunc ibidem ex tali collisione terremotus generatur, & tandem per violentiam vaporum terra illa scinditur, & sic vapor ille exit. Et in locis multarum cauernarum, & vbi est refluxus maris generatur de facili terræmotus. Terra est religio, vel Ecclesia: Vapores ventosi sunt superbi Religiosi, & Clerici (bonis habita reuerentia) qui verè, quando in ventre terræ sunt, idest, in claustro Religionis, aut in gremio Ecclesię, tunc nō sunt contenti loco, & statu proprio, imò volunt exire, scilicet ad exteriora beneficia, & officia, ad quę cupiunt promoueri, & ideò alter contra alterum commouetur, scilicet per iras, & discordias, atq; lites, diuisiones, & odia, & sic terrę motus, idest vox appellationum emittitur, & auditur, vel etiam vox infamiæ, & detractionum; & sic terra, & Ciuitas, idest illa Ecclesia, vel Religio, eorum rixis, & discordijs dissipatur, & ipsi vapores, idest ipsi

ma-

mali quaſi violenter exeunt, ſcilicet Prȩlationis officia occupando, & per lites, & diſcordias beneficia acquirendo. Conſtat enim, quod per lites malorum, ſuperborum, otioſorum &c. Religiones aliquando deſtruuntur, diuiſiones, ac factiones oriuntur. Et de huiuſmodi Religionibus, ſiuè Religioſis dictum eſt. *Tu terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti.* Eſa. 14. Et hoc prȩcipuè accidit in illis partibus, vbi eſt refluxus maris, ideſt: affluentia diuitiarum, ſcilicet in Religionibus diuitibus, opulentibus. Et vbi non eſt charitas, aut regularis obſeruaantia, ibi clauſtra ſunt tartara, & in huiuſmodi locis à peruerſis hominibus Nomen Domini non laudatur, aut glorificatur, ſed potius blaſphematur, ac inhonoratur. Et qui cupit Deum benedicere, laudare, & in ſæcula ſuperexaltare, debet ſtatuta Eccleſiaſtica ſiue regularia obſeruare, & vſq; ad occaſum perſeuerare; *Nam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Benedicite montes, et colles Domino: Benedicite uniuersa germinantia in terra Domino.

11 NOn tàm ex necessitate materiæ, (ait Pererius) sed ad vtilitatem quoq; stirpium, atq; animantium, nec non ad ornatũ; ac decorem terrę factos montes existimari conuenit. Etenim varietas collium, & camporum, distinctioq; vallium, & montium, eximiam terrę pulchritudinem, & decorem addunt. Verùm ingens, & multiplex est, montium vtilitas. Multum enim conferunt montes ad salubritatem aeris, ad fertilitatem solis, ad maturitatem fructuum, ad coercendos, frangendosq; maris impetus, ad furorem ventorum fręnandum, ad generationem fontium, & fluminum, qui ferè originem è montibus habent. Qua propter Dauid in Psalmo 103. cecinit. *Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ*. Multę item arbores, multęq; animantes non alibi, quàm in montibus generari, pasci, & versari solent. Hęc ille. Mons in singulari aliquando Diabolum significat, videlicet propter superbiam, qua se contra Deum erigit, & Altissimo vult esse similis. Ita Venerabilis

Beda,

Beda, Sacerdotum gloria & decus. Mihi autem magis ſenſus Sanctæ Eccleſiæ arridet, quę per montem Chriſtum Dominum noſtrum, vt in oratione Sanctę Catharinæ 25. Nouembris habetur; vt ad montem qui Chriſtus eſt peruenire mereamur: Ipſe eſt enim altior vniuerſis: Sicut Sancta cantat Eccleſia: Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus IESV Chriſte. Montes in plurali Apoſtolos intelligere poſſumus, Dominum IESVM Chriſtum ſequentes, vel illum ſermocinantem audientes; Iuxta illud Pſ. *Montes in circuitu eius*. Et conſequenter nomine montium interprętari poſſumus omnes homines Apoſtolorum veſtigia ſequentes; pręcipuè verò Pauperes, Doctores, Seraphicos, ac Angelicos concionatores, animarum Paſtores, ac Miſſionarios Apoſtolicos, propter eminentem ſcientiam, ęloquentiam, Sanctitatem, ac prudentiam dignitatem, ac ſapientiam. Ob quas virtutes, ſiue qualitates procul dubio debent alios ſibi inferiores pręcedere, gubernare ac regere. Sic Deus ſuum Hieremiam Prophetam ſuper omnes gentes ſublimauit; dicens illi in Cap. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ędifices, & plantes*; ad tantam, ad talemq; dignitatem Deus illum exaltauit, quia erat de ſtirpe Sacerdotali co-

eorum scilicet, qui fuerunt in Anatoth. Et ad hanc dignitatem debent Sæculares colla humiliare; in omnibus necessitatibus præcipuè spiritualibus, ad huiusmodi eminentes montes, scilicet Sacerdotes, recurrere, oculos leuare, honorem illis, ac reuerentiam reddere, auxilium postulare; ac cum Propheta Rege dicere; *Leuaui oculos meos in montes; vnde veniet auxilium mihi.*

[Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino] Quæ nascuntur, & ortum habent è terra, in herbas, olera, fructices, & arbores distincta sunt, in quibus multa, & insigna cernuntur naturæ miracula, & Diuinæ sapientię, ac prouidentiæ argumenta. Nec sanè minora in minimis, quàm in maximis. *Considerate* (inquit Saluator noster Matth. 6.) *Lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neq; nent. Dico autem vobis; quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Si autem fænum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestet, &c.* Et reuera, inquit Hieronymus ea ipsa verba Domini explanans. Quod sericum, quæ Regum purpura, quę pictura textricum potest floribus comparari? Quid ita rubet, vt rosa? Quid ita candet vt lilium? violæ autem purpuram nullo superari murice, oculorum magis, quã sermonis iudicium est. Sic bonus Sacerdos,

qui

qui cupit Deo ſemper benedicere, debet ad boni germinis inſtar, bona, ac fructifera opera germinare, cautiſſimè loqui: quia in multiloquio non deeſt peccatum, caſtiſſimè conuerſari, caſtas cogitationes, ac mundas in mente, ac corde nutrire: *Beati mundo corde, &c.* Et è contra: peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: & tali modo terra à nobis ſupra relata dabit fructum ſuum: *Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*

Videamus modo, quid de montibus deuotiſſimus Pet. Berchorius dicat. (Quæ omnia ſcribo in gratiam pauperum Sacerdotum, qui prædictum non habent auctorem) Mons (ait ille) eſt tumor terræ ſolo pede tangens terram verſus Cælum ſuperius eleuatus: & ideò dicuntur montes, quaſi eminentes, ſecundum Iſodorum. Et ſunt montes ſolidi compacti cęlum verſus erecti; cum terra coniuncti, quandoque interius ſunt concaui, & cauernoſi; & ideò ratione vacuitatis aquas ſibi attrahunt, atque ſugunt, quas tandem emittentes efficiuntur ſempiternorum fontium, & fluminum origo, ac principium. Et ſunt montes metallorum, & lapidum contentiui, aromatum, & fructum productiui, radiorum ſolarium præ cæteris ſuſceptiui, & ſolaris illuminationis diutiùs retentiui. Tales ſunt Sancti, & perfecti Sacerdotes, Miſſionarij,

rij,Concionatores ; ac animarum Pastores, quia verè Cælum versus eriguntur per contemplationem,spem & affectionem, terram tantùm :.idest : Infernum tangunt inferius per timorem, & considerationem . Vsque ad cælos attingebat stans in terra . Sap. 18. Isti concaui per humilitatem,vacui per spiritus paupertatem ; diuites tantùm (si aliqui sunt) prò pauperibus . Et tunc aquas deuotionis,& gratiæ; scilicet scientię , lacrymarum,& compassionis attrahunt à Deo , & acquirunt : fluuium sacræ doctrinę alijs effundunt, & emittunt . Sicut patet de Augustino de Angelico Doctore , ac Seraphico nostro Bonauentura : qui fatentur,se plus didicisse ex Sacræ Passionis IESV Christi contemplatione,quàm ex nuda , ac simplici lectione . *Fluuius igneus , rapidusq; egrediebatur.* Dan.7. Isti etiam (boni Sacerdotes nempe) sunt solidi per constantiæ firmitatem , per vitæ,& doctrinæ sanctitatem. Esa. 40. *Super montem excelsum ascende :* Currentium aquarum , & metallorum , & pretiosorum lapidum: idest virtutum, & meritorum sunt interius contentiui . *Deut.* 8. *De montibus eius æris metalla fodiuntur*, Aromatum autem,& fructuum,idest:bonæ famæ , & bonarum operationum sunt , exterius possessiui . Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ* . Illuminationis, &

cla-

claritatis,discretionis,& sapientię, & radiorum solis: ideſt: gratię, & influentiæ Dei, sunt præ cæteris susceptiui,& diutius per perseuerantiam contentiui. *Sol irradians, illuminans montes. Eccl.43.* Montes fumorum, & vaporum sunt sæpius emissiui, & nubium, & pluuiarum in aere productiui. Et sunt montes ventis, & fulminibus, nebulis,& turbinibus expositi,& ideò communiter sunt frigidi plusquam valles; & hinc eſt, quod in quibusdam altis montibus niues perpetuò perseuerant, vt eſt Caucasus,& Libanus. Sic perfecti,& boni Sacerdotes fumum, & vaporem deuotæ orationis emittunt, & ideò in aere, ideſt societate contigua, vel in Ecclesia causant nubes bonorum exemplorum, & pluuiã bonorum documentorum, & ardorem concupiscentiæ refrigerant,& temperant. *Totus mons Sinai fumabat Exod.19.* Iſti (ideſt perfecti Sacerdotes) fulmina,& ventos,ideſt: mundi impetus, & tribulationes suſtinent,& ab eis sæpè feriuntur: quia multæ tribulationes iuſtorum; & ideò sunt frigidi per timorem Dei,& niue, ideſt: florida caſtitate, præ cæteris candidati, ideſt candidi facti Nazarei eius. Thre.4.

Mons eſt locus tutior, roratione humectior, pascuosior, altior, & speculationi aptior, quàm vallis; in monte enim lux eſt

cla-

clarior, & ideò hostes vndique meliùs contemplantur. Item ros est ibi dulcior, & aer purior, & ibi meliora pascua prò nutriendis animalibus generantur; Item ibi locus est altior, & ad standum dificilior; & ideò fortalitia, castra, & munitiones ibi contra hostium impetus fortissima fabricantur. Ibi etiam maior est siccitas, & ideò illa, quæ ibi sunt faciliùs desiccantur. Ibi frutera sunt depressiora, & cauernæ plures, & ideò tàm aues, quàm feræ ibi solent refugere, quando à venatoribus infestantur. Mons iste est religio, vel perfectionis status, qui prò certo est securior, & lumine scientiæ clarior, cælo, ac cęlestibus propior, quàm sit vallis, idest mundus. In isto enim statu plus abundat lux Diuinæ sapientiæ, ac scientiæ; & ideò locus est aptior illis, qui volunt speculari, & præuidere, scilicet loca remota, idest terram paradisi ad desiderandum, & ad illuc eundũ. Esa.40. *Super montem excelsum ascende.*

In monte etiam religionis, & statu perfectionis abundat aer purus, idest bona, pura, & sancta societas, & viri spirituales. Item ros dulcis: idest: bona, & sana doctrina, & etiam ros deuotionis gratiæ, & compassionis: & ideò ibi bona sunt pascua, & fæcunditas hærbarum, idest: virtutum, documentorum, & exemplorum, & ideò animalia: idest; Christi

ſti fideles,ibi aptè nutriuntur,& donis,ac virtutibus impinguantur. Mons Dei, mons pinguis,figuratus per montem Hermon, qui ſitus ſuper Iordanem paſcuis abundabat, & ideò ibi animalia impinguabantur, quæ poſt in monte Sion,in templo offerebantur.Sic in monte iſto,qui ſitus eſt ſuper Iordanem:ideſt ſuper fluuium deuotionis gratiæ, vel doctrinæ abundant paſcua: ideſt: fæcunditas meritorum,& virtutum, & ideò boni Sacerdotes ibi nutriuntur, & paſcuntur, vt tandem in templo paradiſi præſententur. Ros Hermon deſcendit in montem Sion. Item mōs religionis,vel ſtatus perfectionis eſt locus tutior,quia hoſtes ſpirituales:ſcilicet diuitię,aut carnis delicię ibi non aſcendunt. Sunt ibi ſcilicet in religionibus caſtra fortia, ideſt ſcientiæ,& virtutes,ſcilicet lectio, humilitas, pęnitentia,& cætera ſimilia,quæ omnia ſunt animæ munimenta, & ideò homo ibi eſt tutior contra omnium criminum nocumenta: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum &c.* Pſal.124. Et ideò homines, ideſt viri rationales, aues, ideſt mundi ſapientes,beſtię,ideſt ſimplices,qui ſe vident in valle mundi infeſtari ab hoſtibus venatoribus,& aucupibus; à Dæmonibus, & tentationibus ad refugium iſtud debent venire,ſi velint facilius à ſpiritualibus hoſtibus ſal-

saluari. *Requiescent in monte Sancto tuo.* Et Ezec. 34 *In montibus Sion pascam eas, ibi requiescent in herbis virentibus.*

Pro coronide huius versus explicationis, nomine montis Sanctissima Virgo MARIA peccatorum, ac Sacerdotum afflictorum refugium intelligitur. Mons quippe (ait S. Gregor.) fuit MARIA, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suę dignitate transcendit. An non mons sublimis MARIA, quæ vt ad conceptionem ęterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, vsque ad solium Diuinitatis erexit? Huius enim montis prę-cellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: *Erit in nouissimis diebus pręparatus mons domus Domini in vertice montium*: Mons quippè in vertice montium fuit; quia altitudo MARIÆ supra omnes Sanctos refulsit. Et mons in vertice montium MARIA non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc Diuina fęcunditas non leuaret. Et domus Domini non fieret: Si in eius ventre per assumptam humanitatem Verbi Diuinitas non iaceret. Hæc in laudem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, vt pro me impetret gratiam viuendi in gratia Filij sui Domini nostri IESV Christi; ac ipsum pro me laudet, benedicat, glorificet, ac superexaltet in sęcula.

Bene-

Benedicite fontes Domino: Benedicite maria, & flumina Domino.

12 HIc Sacerdos conſideret, quemadmodum in exordio mundi, cum eſſet aqua longè maior quam terra, eique omni ex parte ſuperſuſa; tertia die fabricationis mundi, potentiſſimo Dei verbo, iuſſuq; ſeparata, & vnum in locum coacta: magnam terrę partem, ad generationem ſtirpium, & animantium habitationem nudam, ſiccamq; reliquerit. Hinc exiſtit immenſitas Oceani: hinc tot eius in terras irruptiones, quæ nos maria diuerſis inſignita nominibus, appellamus: hinc tot lacus, fontes, & flumina, hinc denique omnia aquarum genera ad temperandum ſyderum ardores, ad refrigerandum aerem, ad fæcundandam terram, ad nutriendas ſtirpes, ad innumerabiles animantium, hominumq; vtilitates, atque voluptates opportuniſſima. Clariſſimum deinde potentiæ pariter, & iuſtitiæ Dei teſtimonium, & monumentum, generalis illa aquarũ eluuio, quæ omnem terrarum orbem aquis, vel celſiſſimos terræ montes quindecim cubitis ſupergreſſis altiſſimè inundauit.

Fons ſecundum Iſodorum dicitur à fo-

uendo, vel à fundendo aquas. Scaturiendo enim aquas continuò recipit, quas fluendo continuò refundit. Fons ſicut ſenſu probatur, calidior eſt in hyeme, quam in æſtate; quia in hyemis tempore aerea frigiditas calorem intus repercutit, & recludit; & ideò ibi congregatus calor fortiùs conualeſcit: ſed in ęſtate propter cauſam contrariam calor interiùs diſpergitur, & per actionem caloris exterioris ſubtrahitur; & ſic in fonte frigiditas propter caloris abſentiam remanet, & cauſatur. Sic, chariſſimi Sacerdotes, qui in omni tempore Deum benedicere, & laudare debetis:

Benedicam Dominum in omni tempore. Pſal. 33. tam in hyeme tribulationum, vel ſenectutis, debet charitatis veſtrę calor in fontibus, ideſt in hominibus plus vigere, quam in æſtate proſperitatis, vel iuuentutis; quia propter frigus naturæ in ſenectute, vel propter frigus aduerſitatum in tribulatione calor interior charitatis recluditur, in quantum ſcilicet homo ad ſe ipſum redire, & ad Deum ſummũ bonum recurrere compellitur, & ſic cumulata charitas plus augetur, quia ſcilicet affectio exire ad res exteriores propter tribulamina prohibetur. Sed in ęſtate proſperitatis, quãdo aer circum iacens, ideſt, ſtatus exterior caleſit. Scilicet feruore ſeruorum, & ami-

citia-

citiarum,& etiam deliciarum, tunc calor interior charitatis per deſideria diuerſa euaporat,& à rebus exterioribus paulatim ad mundum attrahitur, & ſic homo tepidior fit, & quò ad Deum frigidior; quia ſcilicet calor, & affectio ſuæ mentis exteriùs occupatur, & ſic plus prodeſſe aduerſitas,quam proſperitas comprobatur. 3. Regum. 1. *Cumque operiretur veſtibus non caleſiebat*. Quia ſcilicet, quantò quis diuitiarum veſtibus amplius exterius operitur, tantò minùs per deuotionem, & charitatem feruidus interius reperitur.

Vel alio modo dic, quòd fons perfectum Sacerdotem ſignificat, qui ſcilicet in æſtate proſperitatis debet eſſe frigidus per Diuinum timorem, in hyeme verò aduerſitatis debet eſſe feruidus per Diuinum amorem. Vti Apoſtulus de ſe ipſo aiebat Philip. 4. *Scio abundare, & ſcio penuriam pati*. Fons terras ſibi vicinas ſolet facere herbis, & floribus præ ceteris abundare; ſic ſimplex, ac terreus Parochianus,quando fonti viuo, ideſt, probo,ac perfecto Parocho, vel concionatori eſt ſocius,vel vicinus per eius influentiam magis efficitur virtutibus, & operibus fructuoſus. Pſal. 1. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, & alibi. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*. Et quia

contrariorum eadem est disciplina, potest concludere: *Et cum peruerso peruerteris*; quod facile probatur; quia sicut aqua fontis secundum terram adiacentem, & eius natura variatur, sic homo secundum conditionem illorum, quos frequentat, aliquando melior, aliquando deterior reperitur. Vndè admonebat ille moralis philosophus: *Cum bonis ambula, cum malis pacem habeto.*

Fons, & aqua semper sentit fundi sui naturam; quia, si purus, & petrosus erit, aqua sapida, & dulcis erit; si verò fundus sit fœtidus, & limosus, aquę sapor erit terreus, & impurus; fons est Filius familiæ qui fundum suum: idest parentes faciliter imitatur, & ad eorum conditiones faciliter inclinatur. Numeri 32. *Vos surrexistis pro patribus vestris.*

Fons est caput, & origo aquæ viuæ, quæ manet continuè, & affluit, de occultis, & abditis terræ venis, & ideò dicitur fons, quasi fouens aquas secundùm Isodorum, siuè fundens. Occultum enim habet de terra egressum, & de meatibus petrarum profundis consequitur ortum suum. Et est fons aquæ suę multiplicatiuus, & sui communicatiuus, quia nulli se occultat, sed indifferenter se omnibus exponit, & est sui renouatiuus, quia scilicet aquæ fontis continuè renouantur; & auibus in se balneantibus beneficij reno-

uationis adminiſtratiuus, vt patet in accipitribus,& aquilis,qui in fontibus renouantur. Talis per omnia eſt ſummus Sacerdos Chriſtus Eccleſiæ Caput; qui Eccl.1. *Fons ſapientiæ dicitur* . Verbum Dei , quia ſcilicet iſte de occultis terræ venis effluit , quia videlicet continuè per ęternam generationem à Patre emanat . Et inſuper de occultis terræ venis ideſt de MARIÆ Virginis viſceribus per aſſumptionem carnis emanauit, & de profundis petrarum, ideſt, de ipſius Dei Patris, vel Virginis intimis ſuum conſequitur ortum, quantùm ad ſuam duplicem conditionem : quia(Mich.)5. *Egreſſus eius à diebus æternitatis* . Igitur gratia huius fontis eſt gratiarum , & bonorum omnium plenitudo : *In me omnis gratia vitę, & veritatis* . Iſte ergo fons aquæ ſuę eſt multiplicatiuus,& communicatiuus; quia Chriſtus bona ſua malis , & bonis diuidit,& difundit . *Ego Sapientia effundi flumina. Eccl.* 24 *Deriuentur fontes tui foras* : & Prou.5. Quia Chriſtus per ſuam occultam prouidentiam,beneficiorum ſuorum aquam tam infidelibus , quam fidelibus elargitur . *Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos* . Matt.5. Item fons eſt ſui innouatiuus, quia Chriſtus multipliciter ſe renouauit , & hoc quia de æterno factus temporalis, & per incarnationem mortalis; & iterum de mortali,

temporali factus impassibilis, & immortalis, & æternus per mortem, & resurrectionem. Iob. 29. *Gloria mea semper renouabitur. Renouabitur vt aquilę iuuentus tua.* Psal. 102.

Fons, siuè fontes sunt vulnera Saluatoris, è quibus omnes Christi fideles contemplatiui, cum maxima cordis lætitia aquam sapientię, ac scientię hauriunt. *Haurietis aquam in gaudio de fontibus Saluatoris.* Esa. 12.

Fons etiam est Beatissima Virgo MARIA, quæ prò certo aquas misericordiæ, & gratiæ per multos riuulos beneficiorum effundit, & sitientes idest, deuotos Sacerdotes, ac alios fideles recreat, & ardorem tentationum, & tribulationum tollit. Nulla gratia venit è Cælo nisi per manus MARIÆ. Ipsa enim per gratiam peccatores renouat, & virtutum, & operum floribus, & fructibus omnia vegetat, & fæcundat. Et lacum, idest, peccatorem, per quem transit ipsum misericorditer visitando, purificat, & eum à corruptione mortis æternæ præseruat. Vndè illud Zach. 13. *Erit fons patens Domui Iacob in ablutionem peccatoris &c.* Et benedicit: patens: quia prò certo iste fons, nescit alicui se negare,

Vel dic, quod fons sit bonus, ac perfectus Parochus, qui se renouat per pænitentiam, & etiam alios per doctrinam, & sapientiam. 2.

Cor.

Cor. 4. *Renouabitur de die in diem* ; Item iſte ſe communicat per clemētiam, alios irrigat per beneficientiam, & pauperes reficit, & recreat,& ardorem ſuarum tribulationum refrigerat per eleæmoſinæ redundantiam, arenas diuitiarum reijcit, & per voluntariam paupertatem contemnit. Eſa. 54. *Excutere de puluere, conſurge, ſede Hieruſalem.*

Vel dic; quod fons eſt lacrymarum flùxus, vel peccantium pænitentia. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei &c.* vel eſt gratiarum origo: iſta ſunt, quæ mentem renouant, quæ feces,& peccata mundant, ardorem tentationum temperant, & quæ hominem in cunctis bonis fæcundant. Heb. 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.*

Fons eſt in Aphrica, qui canoras voces facit, & eſt fons tuberenis in Italia, qui vulneribus oculorum medetur. Ex antiqua traditione etiam habetur, quod paruulus fons Sancti Lucij in Rhetia propè Curiam ad ſanitatem oculorum per interceſſionem eiuſdem Sancti ſit valdè mirabilis, & voti, ac deuotionis gratia multi Catholici (ad hæreticorum confuſionem) illuc confluunt, ipſemet rupem aſcendi,& vidi &c. Talis eſt pænitentia, quę facit vocem canoram per confeſſionem, vel orationem ſanat oculos, ſcilicet: intellectus per carnalium abſterſionem,

& faces extinctas, id est, homines sine igne charitatis accendit per charitatem, quando ibi immerguntur, & accensi scilicet igne cupiditatis ibi extinguntur per gratiam, quando in fonte ipsius balneantur. Eze. 13. *Interficiunt animas, quæ non moriuntur, & viuificant illos, qui non viuunt. Sicut fons nulli se negat.* Sic pænitentia bonis, & malis communis efficitur. Zac. 13. *Erit fons patens domui Iacob in ablutionem peccatoris, & menstruatę.*

Fons etiam est aquarum lacu alium, per quas transit melioratiuus, depuratiuus, & à putredine seruatiuus, & piscium ibi degentium nutritiuus. Sic perfectus Episcopus, Generalis, aut Prouincialis: aquas: id est; populos, lacus, id est; Ecclesias, vel Religiones, in quas influit per prædicationem, aut visitationem, & quibus præest per iurisdictionem, meliorat, & depurat, & à corruptione peccati seruat; & pisces: id est: deuotos reficit, & educat: ad Heb. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis &c.*

[Benedicite maria, & flumina Domino] Mare, secundum Isodorum, congregatio est aquarum: & dicitur mare, quasi amarum; amarum enim est, veruntamen aquæ dulci est permixtum, Mare autem arenis clauditur, inter quas quinque lapides pretiosi reperiuntur, qui attritu arenarum politi, per vn-

vndarum maris motum ad littora transferuntur. Item licèt aqua maris amara sit; tamen ratione terræ venarum, super quas transit dulcorem, & efficaciam contrahit; sicut patet in fontibus, quia à terra calida oriuntur, qui licèt originaliter egrediantur amari, & frigidi, tamen ratione venarum terræ sulphureæ, vel aliæ per quam transeunt, dulces, & calidi scaturiunt. Sic procul dubio in mari huiusmodi inter aquas amaras: ideſt: in peccatorum societate sunt aquæ dulces, ideſt boni Religiosi, ac benigni Sacerdotes, qui simul, vsq; ad iudicium permixti sunt. Veruntamen sicut mediante vase terreo non cocto in mare proiecto aqua dulcis ibidem subintrans, ab amara separatur. Sic Christo mediante, qui terreus, & sine coctura concupiscentiæ fuit genitus: quando scilicet in mare mundi, ad iudicium adueniet, isti ab inuicem diuidentur, & dulces, & boni ab eo recipientur, amari verò, & impij in amaritudinem inferni dimittentur. Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foràs miserunt.* In mari ergò huius mundi sunt lapides pretiosi; ideſt, Religiosi virtuosi, boni concionatores, perfecti Missionarij, Confessarij &c. Inter arenas; ideſt inter homines peccatores, carnales, auaros, detractores, mendaces, vaniloquos, seductores, ebriosos, &c. quibus cum

benè

benè fecerint peiores fiunt. Ab his ergò per aduersitatem defæcantur, & sic per patientiam politi,& aptati vsibus cęlestibus præparantur: Quia secundum Gregorium vtilitati bonorum militat nequitia reproborum. Et sicut aqua amara, & frigida transiens per venam terræ calidam,& dulcem dulcis, & calida efficitur: Sic peccator amarus per desperationem, frigidus per indeuotionem, quando transit per venam terræ dulcis, & calidæ; idest: quando manet, & frequentat societatem bonorum Religiosorum, concionatorum,&c. Dulcium per compassionem, calidorum per dilectionem, tunc similis eorum efficitur, & tunc induit calorem honestatis, & calorem charitatis, & dulcorem etiam pietatis, ac valorem, & efficaciam probitatis, quia scilicet, sicut naturaliter aquę maris valent contra multiplices passiones; sic mali per bonorum societatem conuersi exemplis; informationibus, & doctrinis valent contra diuersa peccatorum genera. Eccl.13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, qui verò cum stultis ambulat, similis efficitur.*

Mare est congregatio, & locus omnium aquarum tàm dulcium,quam amararum. Et quamquam omnium fluuiorum, & fontium aquarum multitudinem mare recipiat, nunquam tamen impletur,& non redundat: Secun-

cundum Isodorum. lib. 13. Mare est auarus, qui scilicet est aquarum, idest: diuitiarum, tam amararum, quam dulcium: idest tàm bene, quàm male aquisitarum in suis terminis, idest in suis arcis, aut scrinijs collectiuus, & omnium inexplibiliter absortiuus. Et licèt diuitiarum multitudinem recipiat, nunquam tamen eidem sufficit, aut abundat. Prou. 21. *Infernus non adimpletur sic, & oculi hominum insatiabiles: quia sicut dicitur Eccl. 1. omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.*

Mare rubrum secundum Isodorum, est quidam sinus maris Oceani, circa quem Ægyptij, & ætiopes conuersantur: littora enim & terra circumiacens sunt rubea; ideò aquá maris vndis roseis est perfusa; & ideò de littoribus illis excipiuntur colores rubei ad pingendum parietes, & etiam minium pro libris, & codicibus illuminandis: ibi etiam inueniuntur lapides pretiosi rubei. Sic verè Christi passio mare rubrum dici potest, & propter pænarum amaritudinem, & propter sanguinis rubedinem. Isa. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* & Paulo post: *Quare ergò rubrum est indumentum tuũ, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* est ergò ipse Christus mare rubrum per Passionis amaritudinem rubricatus, & dicitur sinus, vel reflexus Oceani, idest ipsius Dei Pa-

tris,

tris,nam qui caret principio, atq; fine, rectè Oceanus,aut circulus dici potest ; & ab hoc Oceano per æternam generationē influitur vsque ad Aegyptum ; idest vsque ad istum mundum . Isa. 19. *Ascendit Dominus super nubem leuem,& ingredietur Aegyptum* . Si igitur sis liber,idest vir literatus , & velis illuminari per diuersarum virtutum decorem , vade ad mare rubrum , scilicet ad passionem IESV Christi , & ibi accipe minium bonorum exēplorum , scilicet sapientiæ,& humilitatis, & huiusmodi illumina librum tuum . Si autem sis paries,idest ; Laicus durus , & frigidus,accipe ibi largitatis colorem , in quantum Latroni paradisum dedit,& parietem terreitatis, & cupiditatis colora . Item calorem charitatis contra frigiditatem indeuotionis . Ibi etiam inueniri potest lapis rubeus pretiosus : maximè quinque IESV Christi vulnera rubicunda ; quę sua pretiositate omnem inimici potestatem annihilant , ac destruunt . Innumerabilia sunt bona,ac gratię,quibus animæ Sacerdotum , ac omnium fidelium IESV Christi passionem meditantium, decorantur, recreantur,in via salutis roborantur, &c. Et merita,quæ ex IESV Christi passionis meditatione aquiruntur,ab Alberto magno explicantur : qui ait ; Si quis simplicem memoriā IESV Christi fecerit passionis , maius meri-

tum

tum in Cęlo lucratur, quam ſi per integrum annum ſolo pane, & aqua ieiunaſſet, aut ſe ipſum quotidie vſque ad ſanguinis effuſionem virgis cecidiſſet, aut omnes pſalmos Regis Dauid, qui ſunt centum, & quinquaginta recitaſſet.

Mare eſt omnium aquarum tàm dulcium, quàm amarum receptaculum, & in ſuis mutationibus Lunæ ſequitur motum; & ſecundum eius influentiam minuitur, vel augetur. Sic eſt Eccleſia omnium tàm bonorum, quàm malorum habitaculum, & ſequitur motum Lunæ, ideſt motum, & influentiam Diuinę prouidentiæ, ac voluntatis ęternæ; quia ſecundùm Diuinæ diſpoſitionis prouidentiam, actiuè, vel permiſſiuè diuerſimodè operantem, mare ſcilicet Eccleſię militantis nunc eſt tranquillum per proſperitatem, nũc turbidum per aduerſitatem, nunc augetur numero credentium; nunc minuitur per incredulitatem retrocedentium, qui ſcilicet Deo agente, vel permittente numerus diſcipulorum creſcebat. Act. 6. *Et multi Diſcipulorum abierunt retrò.*

Mare dicitur Virgo MARIA tùm propter amaritudines, ſiue paſſiones, quas in morte Filij ſui ſuſtinuit; iuxta illud; *facta eſt velut mare contritio tua*: tùm etiam; quia ſicùt mare eſt origo, & principium omnium aquarũ,

caput

caput, & hospitium fluminum, & fons imbrium. Ita ipsa Virgo MARIA benedicta fuit principium Diuinarum gratiarum, inquantum propter ipsam principaliùs Filius Dei incarnatus est; per quem omnis gratia mundo elapsa est. Item omnis gratiæ plenitudo in ipsam descendit tanquam in hospitium idoneum, & per eius merita, & intercessionem in alios diffusa est: Item licèt terra, idest Ecclesia militans, aliquando à nubibus, quæ sunt in aere, idest à Sanctis, qui in Cælo sunt, & à fluminibus, idest à Sanctis, vel perfectis hominibus, qui sunt in mundo irrigetur, idest eorum orationibus Diuinæ gratiæ admirabile, ac celeste defluxum recipiat; tamen abundantiùs, & frequentiùs à mari, idest ab ipsa Virgine gloriosa attrahit pluuiã salutis, & gratiarum influentiam. Nam gratiæ aliorum Sanctorum sunt minimæ guttæ, respectu gratiarum eius. Et de Sanctis potest dici illud Eccl. 17. *Quasi guttæ aquæ maris deputati sunt*. De MARIA Virgine, illud: *In me omnis gratia, &c.*

[Benedicite Maria, & flumina Domino] flumẽ, siuè fluuius secundum Iso. à fluẽdo dicitur, continuè enim fluit, & labitur, alioquin torrens, & non fluius diceretur. Quandiù igitur fluuius est in ripa sua, nec inundat, est valdè vtilis; sed quando limites suos transit,

tunc

tunc est valdè perniciosus, quia scilicet terræ planitiem dissipat, & distruit, & circumiacentes possessiones disrumpit. Diuitiæ fluuij dici possunt, quia deficiunt, atque diffluunt: Istæ igitur, quando non excedunt, sed infra limites debiti regiminis continentur, tunc prosunt, scilicèt debitè eisdem vtentibus; sed quando in aliquo tantum est de aqua diuitiarum, quod non potest eas continere per debitum earum vsum, & gubernationem, imò superabundant, & exeunt fines suos, tunc circumstantibus pauperibus, & egenis: quia scilicet per tales aquas fluuius iste; idest: Diues terras vicinorum pauperum dissipat, & per extorsiones, alienas possessiones vastat. Iob. 22. *Fluuius subuertit fundamenta ipsorum*, *scilicet pauperum*. Ed idem Iob. 12. *Si continuerit aquas omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subuertent terram.*

Amnis, secundùm Isodorum, est fluuius amenus frondibus, & ramis, vndique circumseptus, iuxta quem herbæ medicinales abundant, siluestres volucres nidificant, & eius potu feræ estum suum refrigerant, & ex eius vicinitate circumiacentia prata, ac pascua virorem suum, & vigorem diutius reseruant, & in eius pascuis pecora nutriuntur, & ad laborandum fortificantur, & ad comedēdum etiam impinguantur. Rectè talis est

sacra

sacra scriptura Theologiæ, quę est ramis, ac frondibus plena, idest Apostolorum, ac Prophætarum auctoritatibus circumsepta: figura de horto: Hester. 7. *Qui erat arboribus consitus, in quem instruit Rex &c.* Hester est Ecclesia, est hortus sacra scriptura, Rex Christus Dominus. Psal. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo: Rex Regum, & Dominus Dominantiũ.* Iuxta ergò istam: idest; iuxta Ecclesiam herbæ medicinales crescunt. *Et folia eius ad sanitatem gentium*, idest documenta, exempla, & præcepta superiorum Theologorum concionatorum Parochorum, quæ sunt infirmis pectoribus medicamina, siuè medicina. Eccl. 28. *Altissimus de terra creauit medicinam.* Iuxta istam volucres siluestres nidificant: quia scilicet viri contemplatiui, & spirituales, qui siluestres dicuntur pro eo quod in silua religionis ab hominibus separantur semper iuxta fluenta sacrę scripturæ, per eius studium conuersantur, vbi gratiarum actionis cantum proferunt, & prædicationis voces emittunt. Ps. *super ea volucres Cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*: idest: de medio duorum testamentorum magnalia Dei concionabuntur. Aqua istius Amnis feras refrigerat; quia per potum aquæ cælestis, idest, aquæ sapientiæ, & intellectus, quæ è fluuio isto hauritur, concupiscentiæ ardor mitigatur, & auaritiæ

sitis

ſitis temperatur, dum ſacræ ſcripturæ colloquia cogitantur. Prouer. 31. *Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuę*. Ex iſtius vicinitate prata vireſcunt: ideſt; honeſtæ perſonæ, pręcipuè Deo conſecratæ quæ virorem honeſtatis, ac verecundiæ retinent, ſicut pratum; ex ſcripturæ Sãctæ vicinitate humorem gratiæ reſeruant interiùs apparentię venuſtatem: Prou. 27. *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta, &c.* In huiuſmodi etiam paſcuis pecora nutriuntur; quia in verbis ſacræ ſcripturæ animæ humore gratiæ impinguantur, & ad laborandum per pænitentiam roborantur, & ad manducandum, ideſt per imitationem ad incorporandum ab alijs diſponuntur. Ideò dicitur Ezec. 34. *In paſcuis pinguibus paſcentur, & in montibus Iſrael erunt paſcua earum.*

Fluuius continuè fluit, habens quò ad fluxum perennitatem, quò ad ſitum profunditatem, quò ad motum circularitatem, quò ad ſubſtantiam puritatem, quò ad ſpeciem perſpicuitatem, quò ad impetum virtuoſitatem. Sic Dominus noſter IESVS Chriſtus à Patre perenniter emanans per beneficiorũ largitionem ad nos continuè defluxiuus, niſi peccati obſtaculum inueniat. Et etiam eſt profundus, ſcilicet quò ad Diuinitatem, quod nõ poteſt inueſtigari Eccl. 1. *Profundum abiſſi quis dimenſus eſt?* Et eſt etiam circularis, eò quod

è cælo venit, & iterum ad cælum rediјt; *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Et etiam impetuosus, quod nullus potest eius resistere voluntati. Cant. 4. *Sicut puteus aquarum viuentium, quę fluunt impetu de Libano*. Item ipse est purus, & specularis, nempe in patria, vbi in ipso Beati continuè speculantur, refrigerantur, & recreantur. Ezech. 32. *Purissimas reddam aquas eorum, & flumina*. Iste igitur continuè est emanans quantum ad Paternam generationem inferius defluens quò ad maternam incarnationem impetuosę incedens quantum ad iudicij executionem; purus verò est, & limpidus quantum ad Beatorum æternam delectationem, & consolationem. Ideò bene dicitur Apoc. 21. *Ostendit mihi Angelus fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam chrystallum procedentem de sede Dei, & Agni*. Vel sic intellige, quod iste fluuius est gloria æterna, quæ continuè à Deo emanat profunda, & immensa, & de vno ad alium circulariter fluit, & omnes reficit, & delectat. Gen. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis*. Quæ omnia possumus de Spiritu Sancto intelligere, cuius emanatio est æternalis, cuius fluxus, & influentia est salutaris, cuius motus est impetuosus, cuius aspectus est lucidus, & luminosus. Vnde Isa. 59. *Veniet sicut fluuius violentus, quem Spiritus.*

ritus Domini cogit.

Pro flumine Seraphicus Doctor Bonauentura Sanctissimam Virginem MARIAM intelligit; qui ait, MARIA fuit flumen gratiæ: *In me omnis gratia vię, idest viatoris, & virtutis*; idest compræhensoris; imò fuit fluminum receptaculum; vt idem ait: in MARIAM intrat flumen gratię Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atq; Virginum. Si quis ergò in hoc fluminum receptaculum ingredi cupit, immunem se à peccatis seruare debet, & sic puro corde, ac mente, vnà cum Virgine MARIA, ac omnibus Sanctis Deum in æternum benedicere, ac laudare.

Benedicite Cete, & omnia, quæ mouentur in aquis Domino; Benedicite omnes volucres Cæli Domino.

13 HIc prudens Sacerdos obserua: quomodo Propheta ad laudandum, & benedicendum Deum inuitat ea, quæ ad elementorum ornatum pertinent, cuiusmodi sunt animalia in elementis viuentia, & se ipsa mouentia, & primò, quæ ad elementum aquę

ſpectant, cuiuſmodi ſunt piſces, & ſpecialiter exprimuntur Cete, quia ſunt piſces maximi, & multum inter Dei Creaturas mirabiles. Secundò inuitat ea, quæ ad ornatum aeris pertinent, cum dicitur [Benedicite omnes volucres Cæli Domino] & accipitur Cęlum impropriè pro Cęlo aereo. Nec quiſquam mirari debet, ſi tres iſti Sancti pueri immaculati diuerſas hic creaturas ad Deum ſuum laudandum inuitant; tanta eſt enim ſeruorum Dei perfectorum charitas, tantus Diuini amoris feruor, vt cum videant (ait Deuotiſſimus, ac Sanctiſſimus Françiſcus de Sales, hoc anno 1665. quo hęc ſcribo, iurè meritò in Sanctorum numerum ab Alexandro VII. relatus) ſe minimè ſufficere poſſe ad benedicendum Deum, gratiasq; ei de beneficijs acceptis agendum, omnes ideò creaturas terreſtres, ac cæleſtes, ſenſibiles, ac inſenſibiles rogant, vt ei ſemper gratias pro ipſis agant: Sic faciebat Seraphicus Pater noſter Franciſcus, de quo Sanctus Bonauentura, ait: laudans, laudare monuit, laus illi ſemper adfuit, laus inquam Saluatoris inuitat aues, beſtias, & creaturas alias ad laudem conditoris.

Sed ad nos redeamus, & laudes Diuinas in piſcibus inquiramus, naturamq; ipſorum ælucidemus.

Piſces generaliter loquendo, ſecundum Iſo-

Iſodorum, dicuntur à paſcendo, eò quod in aquis herbas, & alia, quæ ibidem inuenerint depaſcuntur. Et ſecundum Sanctum Ambroſium in Hexameron, tanta eſt inter piſces, & aquam conuenientia, quod ſine aqua viuere non poſſunt; in aqua verò, & non alibi poſſunt de poſteriori in anterius ſe transferre, & ibi natando viuere, & manere. Ad quod facit ſcriptura Iſa. 50. vbi dicitur; deficient piſces ſine aqua, & moriuntur in ſiti. Sic verè tanta eſt inter animam, & aquas gratiæ, & deuotionis comparitas, & congruitas, quod extra huiuſmodi aquas, vel eſſe proprium conſeruari nequeat; quia nullum alibi ſufficiens ſpiraculum reperire poterit: ſed in aquis iſtis, ſcilicet doctrinæ, & gratiæ inuenit cibum ſcientiæ, quo nutritur, & ibi natando per profectum bonorum operum, de parte poſteriori, ideſt; amore mundanorum, ad partem anteriorem bonorum ſcilicet æternorū per deſiderium ſe transfert. Ad Phili. 3. *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quę ante ſunt extendens me ipſum, ad deſtinatum proſequor brauium.*

Omnes piſces fouent, & diligunt pullos ſuos, ranis exceptis: Sic debent Prælati omnes ſuos ſubditos fouere, & diligere, niſi fuerint ranæ: ſcilicet de aquis deuotionis exeuntes, & ad auaritiam terrę ſe vertentes, clamo-

remq; discordiæ emittentes, *Quia vbi verbi sunt plurima, ibi frequenter egestas*. Prouer.14.

Capita piscium sale condita congrua sunt medicinæ vsui, quia sanant morsum canis rabidi, & scorpionis; carnem adulterinam eradicant, vlceribus saniosis conferunt, ac contra venena iuuant. Sic boni, ac perfecti Prælati, qui sunt subditorum capita, si sale sapientię, discretionis, ac prudentiæ macerationis, ac pænitentię conditi fuerint, spirituali congruunt medicinę; quia de corpore Ecclesiæ carnem adulterinam, idest carnalem parentelam, vel luxuriosos eradicant; morsus canis rabidi, idest: detractorum latratus sanant. vlceribus saniosis, idest: peccatoribus, & infestis ab eis peccatorum saniem per correctionem abstergendo, & eos vnguento compassionis, & misericordiæ vngendo sanitatem conferunt, & contra venena malorum consiliorũ adiuuant, atq; prosunt. Marc. 9. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*. Pisces odoribus delectantur, odoremq; sequuntur, sępè per eum defraudantur; vnde etiam pisces libentius vadunt, & in vasis nouis capiuntur, quam in alijs propter odorem ipsius vasis. Vasa pro piscibus capiendis sunt Missionarij Apostolici, ac feruentes concionatores. Vnde de Paulo Apostolo Actor. 9. dicitur. *Vas electionis est mihi*; quæ si per bonam famam odori-

rife-

risera fuerint, & per pænitentiam innouata : tunc in eis pisces, ideſt : peccatores per conuerſionem faciliùs capiuntur:& à mari,ideſt; à peccati amaritudine extrahuntur. 2. ad Corint. 2. *Christi bonus odor ſumus, & Prouer. 27. Vnguentis, & varijs odoribus delectatur cor.* Sic anima bonis amici conſilijs dulcoratur. ibidem.

Sed ad Cete, ſiue Balenam redeamus, vt aliquam moralitatem referamus. Cete,ſiue Balena ſecundùm Iſodorum dicitur à Balin grecè : quod eſt latinè mittere; eò ſcilicet, quòd aquas more fluminis de ore ſuo eijciat, & emittat, quibus naues conuicinas deijcit, & ſubmergit. Vnde dicit Baſilius magnus ſe vidiſſe Balenas per mare incedentes, magnos fluctus emittentes ad inſtar magni torrentis. Tales videntur Tyranni, qui non ceſſant emittere tribulationem,& comminationum fluctus, quibus naues,ideſt: mercatores, & vicinos ſolent ſubmergere, & ad profundum miſeriæ deducere. Pſ. *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper nos.*

Balena poſtquam peperit, ſi videt fætus ſuos eſſe infirmos, impotentes, & paruos,& nondum benè formatos, & potiſſimum quãdo tempeſtatem imminere videt,ſolet eos in ore recipere,& ſic eos à periculo ſaluare; & tandem cum perfecti fuerint, ipſos iterum euomere,& iterum parturire. Hoc bonis

ac deuotis Prælatis applicari potest, qui ante Clericos, id est subditos suos per promotiones ad exteriora beneficia pepererunt; nam si postea vident eos imbecilles, & infirmos, & in tempestatum fluctibus id est negociorum sæculi se regere nescientes, debeant eos quã citò in claustrum recipere, & in ore proprio verbis, & doctrinis eos instruere, & formare, vt post cum perfecti fuerint, & moribus eruditi, possint eos secundum merita ad promotiones, & ad beneficia iterum parturire. Ioan. 3. *Nunquid potest homo intrare in vterum matris suę, & renasci?* Hoc quoq; intelligi potest de ijs omnibus, qui animarum saluti incumbunt, qui debent in visceribus eos omnes portari, qui sub illorum tutela, aut protectione sunt destinati, donec ad partum, siue portum salutis perueniant: Sic faciebat Apostolus, qui scribens ad Galat. 4 ait. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus:* Christus enim est portus salutis nostræ: *Salus tua ego sum &c.*

[Benedicite omnes volucres Cæli Domino]. Rectè post pisces volucres memorantur: Nam & Moyses vtriusq; generis animantium creationem narrans, opus quinti diei coniunctè tradidit. Ait enim Cap. 1. Genes. Dixit Deus: *Producant aquę reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento*

Cęli.

Celi. Certè negari non potest inter pisces, & aues magnam esse naturæ cognationem, & multiplicem conuenientiam; atq; similitudinem. Locus piscium est aqua, auium verò aer: quæ duo elementa sunt inuicem multis rebus congruentia, ambo humida, diaphana, facilè mobilia, & cedentia: & inuicem paruo negocio mutabilia. Conformatio item corporis vtriusq; animantis, multis modis est similis: vtriq; inest luciditas, & agilitas: magna est similitudo inter squamas, & pennas, inter alas, & pinnas, inter volatum, & natatum. Auis secundum Isodorum dicitur ab, à, quod est sine, & via, quasi sine via, quia scilicet non seruat in aere rectam viam. Habet communiter duos pedes, & duas alas, quibus gradiatur, & volat. Sic anima (vt ita dicam) quatuor habet membra; idest quatuor affectiones, quæ ipsam portant; duas scilicet alas, quibus volat ad consideranda futura, quæ sunt timor suppliciorum, & spes cælestium premiorum; Item duos pedes, quibus mouetur in præsenti, qui sunt dolor de præsentibus malis, & gaudium de præsentibus bonis: Huiusmodi quatuor instrumentis anima tàm in præsentibus, quàm in futuris fertur. Aues curuarum vnguium, scilicet aues rapaces societatem non diligunt, nunquam etiam gregatim vadunt, sed binæ, & in

locis

locis remotis,& solitarijs vitam ducunt. Tales sunt vsurarij,& raptores, hi enim societatem non amant, quia sibi similes nollent inueniri,eò quod quantò minùs est de vsurarijs in patria, tantò ad ipsos pauperum crebrior fit concursus: iuxta illud Eccl. 11. *Nunc manduco de bonis meis solus*. Quamuis aues prædales communiter non comedant sibi similes in specie,& natura; istud tamen in piscibus fallit,quia scilicet isti,nec ijs,qui de sua specie sunt,parcunt. Sic quamuis mali generaliter sibi similes non prædentur(quia scilicet raptor raptorem,& vsurarius vsurarium non inuadit)& etiam communiter eos, qui de suo genere sunt, non deuorent; pisces tamen, idest Luxuriosi contrarium facere sæpiùs dignoscuntur,quia luxuriossi etiam illis de parentela sua per incestum abutuntur: *Vnus quisque carnem brachij sui vorabit*. Isa. 9. & Iere. 19. *Vnusquisq; carnes amici sui comedet in obsidione*.

Item quædam aues sunt, quæ nesciunt nisi in arborum frondibus residere: & illę prę cæteris auibus sunt mundioris vitæ, dulcioris cantus,lætitiæq; amplioris. Nam aliquæ sunt,quæ omni tempore resonant, sicut sunt Philomenæ; alię verò in æstate,& non hyeme cantant; aues huiusmodi in arboribus requiescunt,& ibi pullos suos faciunt,nutriunt,

& producunt. Et vt plurimum quam diù in arbore manserint à visco,& laqueis sunt securæ. Statim autem quando arbore relicta ad terram descenderint,periculum,& iacturam pati possunt. Charissimi Sacerdotes, arbor est crux,auis est Religiosus, aut secularis,deuotus,& contemplatiuus, qui quamdiù in arbore Crucis per memoriam manserit, nec visco luxuriç,nec laqueo auaritiæ, nec sagittàm inuidiæ capietur; Si autem arbore relicta ad terram; ideſt; ad terrena descenderit per affectum; tunc aliquo trium vitiorum à Diabolo poterit defraudari: Teste Beato Ioanne dicente. *Omne quod in mundo est,aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ*.. Et in isto arbore aues pullificant; quia veri spirituales in Cruce, & eius memoria pullos bonorum operum faciunt, cum ibi per compassionem iugiter commorantur,& habitant.Cant.3.*Sub vmbra illius sedi*: isti sunt cantus dulcioris per gratiarum actiones. *Sume Citharam, frequenta canticum, circui ciuitatem, vt memoria sit tui*. Isa.23. Sume citharam,quæ de ligno est, ideſt crucis memoriam per compassionem,frequenta canticum per gratiarum actionem. Circui Ciuitatem, ideſt; Paradisum per contemplationem: vt memoria sit tui,scilicet apud Deum; isti sunt lętitię amplioris, quia tales in Spiritu Sancto sem-

semper gaudent. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete &c. ad Phili. 4.* & alibi de se ipso ait. *Repletus sum consolatione, super abundo gaudio* Et in Ps. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Item sunt vitæ mundioris, siuè purioris per continentiam, & per abstinentiam voluptatum. *Qui mundus est in domo tua vescetur ea*, scilicet carne. Leu. 7. Et sicut aues in arboribus victū quærunt, & de arborum fructibus comedunt; Sic in arbore Crucis inuenire potes cibum deuotionis, & fructum perfectionis scilicet Christum, qui satiat sine fame. *Cant. 7. ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Figura in arbore Nabuchodonosor, in qua aues diuersi generis habitabant. Et sicut ros in arboribus stillat, sic è Cruce ros deuotionis emanat. Isa. 26. *Ros lucis, ros tuus.* Qui vult ergò Christum Dominum benedicere, ac laudare, debet Crucis mortificationem in corpore vsq; ad occasum portare. *Qui mihi ministrat, me sequatur:* Ioan. 14. *Qui vult venire post me, &c.*

Bene-

Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino; Benedicite Filij hominum Domino.

14 DVo ſunt genera animalium (ait Pererius) quædam ſunt corpore magna, viribus robuſta, ſenſibusq; perfecta; vt Equus, Leo, Elephas; alia parua, infirma, ſiuè infima, & imperfecta, vt apis, culex, formica. In vtro autem genere ſpectabilius ſit naturę artificium; pluraq; extent, atq; illuſtriora Dei potentiæ, ac ſapientiæ argumenta, difficile iudicium eſt. Nec mihi ſane liquet, mirari ne debeam magis dentes apri, an tineæ; alas ghryphis, an cyniphis, caput equi, an locuſtæ; crura elephantis, an culicis, aquilam, an formicam, leonem, an pulicem, tygrem, an teſtudinem. Niſi quod maiorum animalium vberior, & amplior materia: ideoq; tractabilior, & naturæ facultati obſequentior, minùs naturæ vim, & artem facit admirabilem. At in minutis animalibus, quorum exilitas cerni vix poteſt, tàm ſubtilis, & artificioſa ſingulorum membrorum figuratio, cunctarumq; partium corporis tam apta digeſtio, atque omnium ſenſuum tàm exquiſita diſtin-

ſtinctio, eò perfectior, quò ineſtricabilior, & mirabilior contemplantibus accidit. Vide plura apud ipſum de animalibus: finis enim noſter non eſt, hoc in opuſculo pulchras huiſmodi deſcriptiones inſerere; ſed tantum ea, ex quibus poſſumus aliquas moralitates extrahere; & celebrantium animam ad Deum laudandum, ac benedicendum excitare. Igitur vt aliquid in ſpecie de aliquibus animalibus dicamus, ab equo incipiamus, & qualitates ipſius elucidemus, ac moralitates trahamus.

Equus igitur ab æquatione dicitur; eò quod pares æquentur ad curſus. Caballus etiam dicitur à cauo pede, quia cauum habet pedem, quod alia animalia non habent; & preſſa vngula terram cauat ſecundum Iſodorum lib. 12. Sonipes etiam dicitur à ſonu pedum. Proprietas equorum eſt; quia exultant in campis, odorantur bellum, ſono tubæ ad prelium excitantur; voce accenſi ad curſum prouocantur; dolent cum victi fuerint, ac gaudent victoria. Rectè tales profectò debent eſſe boni Catholici, maximè Sacerdotes, Religioſi, Concionatores, Miſſionarij, quia verè inuicem debent æquari, & pacificari per concordiæ vnitatem, non diuidi per diſcordiam, & partialitatem. Vnde 1. Paral. 24. tam maiores, quam minores ſors ęqualiter

ter diuidebat: pedes etiam, ideſt affectus debent habere cauos: hoc eſt dictu humiles, & vacuos per voluntariam paupertatem, quia terram, ideſt: bona temporalia debent cauere, & per contemptum proijcere; & cum pedibus, ideſt: cum affectionibus facere debent ſonum; gratiarum nempè actionum. Iſti etiam in campo huiuſmodi certaminis ſpiritualiter debent exultare. Pſ. 18. *Exultauit vt gygas ad currendam viam*. Et bellum tentationum, & vitiorum debent odorari, ſentire, & præuidere per diſcretionem: & ſono tubæ, ideſt: verbis prædicationis, vel ſacræ ſcripturæ, & ſpiritualis inſtructionis ad dimicandum, & reſiſtendum viriliter excitari. *Procul odoratur bellum*. Iob. 39. & quando voce, ideſt: dulci monitione per dilectionem accenduntur; tunc ad curſum bonorum operum debent celeriter excitari, aut prouocari. Hier. 11. *Ad vocem loquelę grandis exarſit ignis*; quia boni magis faciunt per dulcem monitionem, quã mali per duram increpationem, ſiuè correctionem. *Anima mea liquefacta eſt, vt Dilectus meus loqutus eſt*. Cant. 5. Iſti enim gaudent, cum vicerint, ideſt: tentationes, & tribulationes. *Quia exultant victores capta prędam*. Iſa 9. Si autem victi fuerint, & à Diabolo ſuperati, tunc dolent per contritionem, ſpirant per confeſſionem, plorant, & gemunt per pænitentiam,

tiam,& satisfactionem : *Angeli pacis amarè flebant. Isa. 33.* Equi de morte Domini sui lacrymantur; quia lacrymari, & affectum doloris se sentire more hominum dicuntur, & viuunt longo tempore secundùm Isodorũ ; rectè sic debent boni, & iusti Sacerdotes esse; quia verè Dominum Iesum Christum diligere debent; & præter illum nullum alium amatorem admittere,& vocem illius in quouis loco audire : *Oues meę vocem meam audiunt, & sequuntur me, & vitam æternam do eis. Jo 10.* Mortem Iesu Christi debent contemplari , illacrymari, siuè flere, & vsque ad mortem perseuerare, ac coronam gloriæ accipere. *Nam qui perseuerauerit vsque in finē hic saluus erit. Esto fidelis vsque ad mortem, &c.*

Leo, Grecè, idem est, quod Rex latinè,eò quod Rex sit omnium animalium. Frons,& cauda indicat Leonis audaciam,& virtutem; virtus eius apparet in pectore, firmitas in capite; dormit apertis oculis, ignem timet, & rotarum strepitum, & cum ambulat, cauda vestigia sua delet, ne venatores suum inueniant locum. Ita Isodorus lib. 12. Tales debent esse omnes Ecclesiæ Pastores, ac Concionatores : qui alios habent exemplis,& doctrinis regere,& gubernare. Quia isti prò certo debent habere virtutem in pectore per dilectionem, & charitatem; firmitatem in capite,

pite,ideſt in intentione per firmam, & bonam erga Deum voluntatem; Dormire debent apertis oculis per diſcretionem, & ſagacitatem. Iuxta illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Veſtigia, ideſt: peccata præterita per confeſſionem, ac lacrymas delere: & ſtrepitum rotarum; ideſt: comminationes Sacrę Scripturę, & ignem infernalem periugem eius conſiderationem debent timere; & ſic à venatoribus Dæmonibus reperiri non poterunt, atq; æternam effugient damnationem. Nam Latrare Dęmones poſſunt, mordere autem non poſſunt, niſi volentem.

Elephas apud Indos barrus dicitur. Et inde vox eius barritus nuncupatur; cuius dentes ebur ſunt, & roſtrum pro muſcis appellatur. Hic inter omia animalia maius eſt corpore, & virtute: nam medi, & Perſæ eis turres ligneas imponunt, è quibus dimicant, & bellantur. Et ſunt bonæ, æſtimatiuæq; memoriæ. Gregatim incedunt in agris, & ſiluis pariunt: & vbi pariunt, ibi fætus ſuos dimittunt, ne à draconibus rapiantur. Biennio fætum portant, & træcentis annis viuunt. Teſte Iſodoro lib. 12. Tales debent eſſe Prę-lati, quia magnitudine auctoritatis, virtute perfectionis, ſanctitatis, ac bonitatis debent alijs præpollere. *Grandis auctoritatis es, & be-*

nè regis regnum Israel. 3. Re. 21. Et ideò vox eorum, ideſt: comminatio debet barritus eſſe, fortis ſcilicet, & terribilis peccatoribus, comminuendo dentes eorum, ideſt: prædicatione. Et verba debent eſſe eburnea; ſcilicet munda, caſta, ſana. & irrepræhenſibilia vt ſint eloquia eorum caſta, argentum igne examinatum. Et ideò turres ligneas, ideſt: Religiones, Conuentus, & Eccleſias debent portare per debitum regimen, iuſtum, & diſcretum, vt homines ibi exiſtentes, ſcilicet Religioſi, ac Clerici poſſint contra vitia, ac peccata dimicare. Figura 1. Mach. 6. *Ibi in exercitu Regis erant Elephantes cum turribus ligneis, & intus homines armati.* Sic in exercitu Domini Noſtri Ieſu Chriſti debent eſſe milites ſpirituales. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Iob. boni intellectus per diſcretionem, gregatim incedere per ſubditorum cōcordiam, & delectationem, & debent parere per bonam operationem; in agris habitare per deuotionem, dilectionem, & lacrymas, & in ſiluis pænitentiæ per corporalem macerationem: & ibi fætus ſuos, ideſt: ſubditos relinquere, dimittere, & nutrire, ne à Dracone Diabolo deuorentur. Iſti debent diu per perſeuerātiā viuere; fætus, ideſt: ſubditos duobus annis portare, ideſt per fidē, & charitatē; quia iſtis duobus debet Prælatus præcipuè

ſuos

ſuos ſubditos nutrire; quia in his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Matth.22.

Apes ſecundùm Iſodorum, dictæ ſunt eò quod ſine pedibus naſcantur, vel pedibus ſe ligent, & connectant inuicem. Solertes ſunt in generandi mellis officio, quod miro artificio ex floribus conficiunt, & ad hoc proprias incolunt manſiones. Tales debent eſſe Religioſi; quia prò certo ſine pedibus, ideſt: ſine proprijs affectionibus debent eſſe, quia ipſos debent per obedientiam reſecare. Vel quia etiam ſe ipſos inuicem debent connectere, & per amorem coniungere, & cum affectionum pedibus colligare, & in proprijs ſuis ſedibus, hoc eſt in Collegijs, & Conuentibus mel deuotionis, & compaſſionis debent conficere; & ipſum de floribus, hoc eſt de Sanctorum exemplis, ac moribus accipere, & congregare. Eccl.11. *Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris fructus eius.*

Culex, ſecundum Iſodorum, dicitur ab aculeo, eò quod cum aculeo pungat, ac ſanguinem extrahat, & ebibat. Et eſt muſca modica, & licèt inter volatilia reputetur, corpus tamen, & effigiem vermis habet cum pluribus pedibus. In aere ſtrepitum generat, & equis vlceroſis eſt infeſtus, & ſuis punctionibus à ſua requie dormientes excitat. Hic ex

cadaueribus,& palude generatur; & videre lumen multum diligit; sed quia,nimis incautè candelæ lumini aliquoties appropinquat, ideò multoties se incendit; & licèt duris animalibus noceat; si tamen tangitur statim destruitur, & crepat; Et culex est hirundinum cibus. Et secundum Isodorum culex ferè idem est quod cynifex,quæ munitissima musca est,sed punctionibus, & aculeis permolesta. Talis per omnia est detractor; quia detractores aculeo murmurationis armati, sanguinem vindictæ ab alijs expetunt, quos suis detractionibus lacerant, & cruentant;dicentes illud Deut. 32. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes*. Et licèt isti modici sint meriti,scientiæ, corporis, & virtutis,magna tamen animalia,idest: potentes personas autenticas, & solemnes tàm scientia,quàm dignitate inuadere non timescunt. Isti inter volatilia reputantur, quia inter spirituales in conuentibus habitantes, eiusdem esse naturæ à sæcularibus reputantur; at si benè considerentur, vermes sunt corruptibiles,& infesti. Sicut de multis detractoribus patet, qui gradu, & statu aues, idest; spirituales esse credunt,qui tamen per corrosionem detractionum vermes esse certissimè comprobantur. Ita vt possint dicere illud Ps. *Ego autem sum vermis, & non homo,*

op-

opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Hoc etiam de hypocritis dici poteſt : Iſti enim in aere huius mundi diſcordiarum ſtrepitum generant, dormientes, ideſt: innocentes pungunt, & excitant, & plures pedes, quàm alas: ideſt: plures affectiones, quam virtutes, & perfectiones portant; equos; ideſt: luxurioſos, & eorum vlcera, ideſt eorum malefacta mordent, & lacerant: & plus in vlceribus: ideſt: in hominum criminibus, quam in virtutibus ſe delectant. Iſti candælæ lumen videre diligunt, quando aliorum facta fieri ſibi manifeſta cupiuntur, vt murmurandi occaſionem habeant: ſed tamen à candela conburuntur, quando nimis inquirentes, duris verbis, & alijs reſponſionibus feriuntur, & facillimè pro quauis contradictione in diſperationem rediguntur. Iſti, inquam, detractores cibus ſunt hirundinum, ideſt Dęmonum; quia ſicut illis placuerunt detrahendo; ſic illis æternaliter debent ſubiacere torquendi. Ideò Eccl. 38. *Dicitur: Suſurro, & bilingnis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes.* Et Eccleſiaſt. 21. *Suſurro, & bilinguis coinquinabit animam ſuam, & ab omnibus odietur.* Prou. 26. *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa peruenient ad intima cordis.* Leu. 19. *Non eris ſuſurro &c.*

Formica ſecundum Iſodorum, dicitur, quaſi

& bestias,& creaturas alias ad laudem conditoris, vt alibi diximus . Vide plura apud deuotissimum Petrum Bercorium ; quæ breuitatis gratia relinquo.

[Benedicite Filij hominum Domino] Aliæ res in hoc hymno hactenùs commemoratæ, vna solum ratione Deum benedicere, seu laudare possunt : quòd nimirum ipsarum naturas, vires, operationes, effectusq; scrutantibus, vberem laudandi Deum earum omniũ conditorem, atq; Rectorem materiam suppeditant . At homo non hac ratione tantùm, sed alio præterea sublimiori, & excellentiori modo Deum benedicere potest . Solus quippè rerum omnium corporatarum Deum cognoscere, admirari, amare, mente pariter, ac ore laudare, pio vultu venerari, debitis obsequijs eius obedire voluntati , præclarisq; factis , ac meritis beatissimum eius conspectum, quo summum hominis bonũ continetur promereri potest . Atq; eo ipso, quod habet homo commune cum alijs rebus corporeis, eas omnes longè superat, & solùm propter hominis amorem misit Deus Filium suum in mundum . *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum daret* . Et Rex, ac Propheta Dauid ex hominis qualitate obstupefactus in Psalmo octauo ex clamauit. *Domine quid est homo , quod memor es eius ? aut Filius*

hominis quoniam visitas eum? minuisti eum paulominùs ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Et in Ecclesiast. Cap. 17. Sic habetur. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & secundùm se vestiuit eum virtute: dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram: Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium. Consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illi excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illum; creauit illi scientiam spiritus, sensu impleuit cor illius.* Et Sanctus Leo in natiuitate Domini ait; Agnosce, ò Christiane dignitatem tuam, & Diuinæ consors factus naturç, noli in veterem vilitatem degeneri conuersationem redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus es de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum.

Benedicat Israel Dominum: *Laudet, & super exaltet eum in sæcula.*

15 Plura absque dubio beneficia Populus Hæbreus (ait Pererius) à Domino Deo accipit. Primò: quòd post habitis, & quasi omnibus alijs mundi nationibus despe-
ctis.

ctis. Vna gens Hebrea fuerit à Deo electa, vt peculiaris eſſet Dei populus; & qui eſt Deus omnium peculiari ratione eius gentis Deus, ac Dominus eſſet. Secundò ſolus omnium gentium Populus Iudaicus quandam habuit veram Dei notitiam, verumq; Dei cultum, ac religionem. Cæteris omnibus in dēſiſſima errorum maximè autem idololatriæ caligine iacentibus. Tertiò in hac ſola gente vſq; ab exordio mundi ad Chriſti aduentum integra fides Dei, & religio conſeruata eſt. Quartò penes Iudæos fuerunt diu ſacri libri, & Diuinæ ſcripturę, quibus altiſſimarum rerum myſteria, & ſecretiſſima Dei conſilia velut conſignata ſeruabantur. Quintò ſępè numero Deus huic populo præſentiam ſuam in ædendis miraculis, reddendis reſponſis, dandis promiſſis, vlciſcendis eius hoſtibus, propulſandis periculis, crebriſque faciendis miraculis, declarauit. Sextò non rarò ad eum populum ſummis liberandum anguſtijs, ad erudiendum, docendamq; Cæleſtium rerum myſteria, ad ſua ei conſilia, & arcana indicanda. Deniqueadeum etiam apud exteras, & barbaras nationes magnificandum, atq; nobilitandum, non Prophetas modò, alioſq; eximios viros; ſed ipſos quoq; Angelos miſit; ſeque eius gentis acerrimum eſſe defenſorem, vigilantiſſimum rectorem

ac tutissimum protectorem; beneuolentissimumq; Patrem clarissimis sæpè demonstrauit argumentis. Septimò: huic soli populo omnium gentium legem dedit à se conditam,& scriptam: qua videlicet quid ei agendum, fugiendumq; intelligeret. Octauò, quod multi Iudeorum tàm homines, quàm mulieres in omni virtutum genere, & laudis excellentes, & admirabiles fuerint. Nonò solis Iudeis promissus est Messias, ex ipsis naturam humanam sumpturus, cum ipsis in eorum patria familiariter conuersaturus, ipsosq; doctrina sua exemplo vitæ frequentissimis miraculis, atque innumerabilibus alijs beneficijs ornaturus, & illustraturus. Decimò ex Iudea,& ex Iudeis, lex, & doctrina Euangelica profecta est ad omnes gentes, & per omnes mundi partes diuulgata, & disseminata. Filij namq; Iudæorum fuere Apostoli, qui Ecclesiæ, gentium parentes, & fundatores, ac Doctores fuerunt. *De Syon* (inquit Isa.) *Exibit lex,& verbum Domini de Ierusalem.* Iam verò, si gens Iudea pro donis à Deo acceptis perpetuò augustissimum eius numen colere, ac venerari, eiusque erga se bonitatem, & beneficentiam dies, noctesq; prædicare debebat. Quantò magis id facere oportet populum Christianum, in quem veluti effusa Dei benignitate, ac magnificentia tot, & tanta extant

tant ipsius beneficia, vt cum his, quæ Iudeis à Deo tributa sunt, ea nec numero, nec magnitudine, nec dignitate, nec latitudine, nec vtilitate, nec diuturnitate comparari possint: & consequenter magis, quàm populus Iudaicus suum Deum, ac Redemptorem tenetur laudare, benedicere, & superexaltare in sæculum sæculi. Cui enim multum datum est multum requiretur ab eo, & dum augentur dona, etiam crescunt rationes donorum.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino; Laudate, superexaltate eum in sæcula.

16 QVemadmodum Israelitæ præ cęteris gentibus: ita super omnes alios Israelitas Sacerdotes eorum diuinas laudes prędicare debebant: non solum, quòd ipsos Deus amplissimis donis, ac honoribus dignatus fuerat decorare: sed ob eam maximè causam, quòd eos omni aliarum rerum cura solutos, & expeditos, vt potè quibus omnia, quæ ad victum pertinebant, ex populi oblationibus, & muneribus abunde suppetebant, suo cultui, & obsequio, diuinisque precationibus, & laudibus destinauerat, atque

atque consecrauerat. Quamobrem eos potissimum Dauid in Psal. 133. ad celebrandas Dei laudes prouocat: cùm ait: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes Serui Domini, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum*; Vide plura apud Pererium. At enim verò, si Sacerdotes Iudaicos diuinis obsequijs, & laudibus tractandis, maximè assiduos, & intentos esse oportebat; quid facere decet Christianæ, & Euangelicæ legis Sacerdotes, quos nimirùm palam est tantùm præstare Sacerdotibus Mosaicis, quantùm spiritualia corporalibus, & carnalibus, cælestia terrenis, Diuina humanis, ęterna temporalijs præcellunt. Etenim legale illud Sacerdotium nullam habebat potestatem, nullumq; effectùm proprie, & perfectè spiritualem: spiritualem dico: talem scilicet, qualis est remittere peccata, conferre gratiam, & hominem spiritualibus bonis, aut donare, aut priuare, vt habetur ex Diuo Paulo Rom. 3.4.5.7. Item ad Galat. 3.4. & 5. At verò Sacerdotium Christianum potestatem habet verè spiritualem, eamq; amplissimam, & planè Diuinam: habet enim claues, quibus regnum cælorum hominibus claudere, & aperire potest; habet potentiam animas ligandi, atque soluendi; tam raro, certoq; effectu,

Vt

Vt quodcumq; ſoluerit in terra, ſit ſolutum, & in Cęlis, & quodcumque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum, & in cęlis. Habet facultatem conſecrandi Sanctiſſimum IESV Chriſti Corpus, & Sanguinem, conficiendique alia nouæ legis Sacramenta, quibus remiſſio peccatorũ, & gratia Dei, donaque cæleſtia dignè accipientibus tribuuntur. Habet etiam poteſtatem per indulgentias ex theſauro Eccleſię depromptas, pænas pro peccatis, iam ſecundum culpam remiſſis vel in hac vita, vel in purgatorio igne perſoluendas, aut ex parte, aut etiam ex toto remittendi. Denique poteſtatem habet contumaces, & rebelles chriſtianos per ſententiam excommunicationis à fidelium communione ſeparandi, & ſpiritualibus Eccleſiæ ſuffragijs, & auxilijs priuandi. Itaq; vt alia per multa, quæ erant in populo Iudaico figuræ quædam, atq; imagines fuerunt eorum, quæ in Chriſtiano populo gerenda erant. Ita Sacerdotium Iudaicum tenuis quædam vmbra fuit Chriſtiani Sacerdotij futuri, nempè tàm dignitate, quàm poteſtate, effectuq; longè præſtantioris.

Non ſine cauſa ergò inuitantur Sacerdotes ad benedicendum Dominum propter nempè eminentiſſimam dignitatem, aliaque incomparabilia beneficia, à Domino Deo ipſorũ accepta, & ſi quis citò cupit Dei amorem

rem , pariterq; timorem acquirere : Diui Francisci de Sales opera;, ac gesta diligenter perlegat . Quidam enim hæretici ex sola lectione ad fidem conuersi sunt . Innumerabiles Catholici, Ecclesiastici, ac sæculares in Dei seruitio tepidi , vel negligentes perlectis ipsius Sancti operibus, in Dei amorem exarserunt, orationi mentali, ac contemplationi illicò incumbere cæperunt, ac eius vestigia sequi tentarunt . Quidam Eminentissimi, ac deuotissimi Cardinales, Illustrissimi, ac Reuerendissimi Episcopi, in tanta æstimatione Sanctissimi viri opera habuerunt , omnibus Sacerdotibus sibi subiectis, vt illa emerent , præceperunt ; & multi vberem fructum traxerunt . Ipse namque vigilantissimus, deuotissimus, ac Sanctissimus Episcopus : patientia, verbo, & exemplo vigintiquinq; hæreticorum millia ad veram fidem perduxit : tredecim monialium monasteria adhuc viuens sub Regula Visitationis Beatę MARIÆ Virginis construxit : ac post illius mortem centum alia eiusdem ordinis ædificata fuere &c. In quibus habitant quatuor millia monialium, quæ die, ac noctę Deum laudant, ac benedicunt . Hæc deuotionis gratia erga Sanctum Franciscum de Sales.

Bene-

Benedcite Spiritus , & animæ iuſtorum Domino ; Benedicite Sancti , & humiles corde Domino.

17 SPiritus eſt quędam ſubſtantia aerea , virtutes corporis excitans ad ſuas peragendas actiones ; & generatur ſpiritus ſecundum medicos in hepate à ſanguine per fortem caloris ebullitionem ; & ipſius ſanguinis in aeream ſubſtantiam conuerſionem. Eſt autem triplex ſpiritus in corpore; ſcilicet naturalis, vitalis , & animalis . Naturalis eſt ille primus, qui in hepate generatur, & virtutem naturalem gerit, & ei dominatur, & per eius adiutorium corpus nutritur, & augmentatur . Vitalis autem eſt ille, qui ad cor tranſiens amplius depuratur , & in vitalem ſpiritum mutatur, & per arterias diffuſus , vitam, & pulſum operatur . Animalis autem eſt ille idem, qui ad cerebrum miſsus , ibi ampliùs depuratur , & in animalem ſpiritum conuertitur, virtute cuius ſenſus , & motus toti corpori miniſtratur.

Per iſtas tres ſpirituum ſpecies, tres gratiarum ſpecies intelligere poſſumus , videlicet; gratiam pręuenientem, cooperantem, & perficien-

ficientem. Gratia enim gratis data, seu præueniens, & sufficiens est sicuti spiritus naturalis, qui scilicet omnibus à Deo datur pro loco, ac tempore; ac si naturaliter haberetur, minusq; quodam modo perfecta est alijs, quia salutem non operatur, & facilè amittitur. Ps. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Gratia verò gratum faciens, & cooperans est spiritus vitalis, qui scilicet vitam animæ tribuit, & pulsum bonorum affectuum introducit. Eze. 1. *Spiritus enim vitæ erat in rotis*. Gratia autem perficiens, & consummans est spiritus animalis, quia scilicet ista est, quæ sensum discretionis perficit, & motum bonorũ operum continuat, & custodit, quia spiritualia facit sapere, & motum bonorum operum consummare. Sap. 7. *Optaui, & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit in me Spiritus sapientię, & proposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil eße duxi in comparatione illius*. Quia prò certo illi, qui Spiritum gratiæ, & perfectionis habent, respectu eius nihil æquiparabile putant. Isti ergò Spiritus, & huiusmodi gratiæ, virtutes nostras naturales ad bonum excitant; vt scilicet secundum Deum actus suos exerceant, atq; agant.

[Benedicite spiritus, & animę iustorum Domino] Anima secundum Damascenum, est

eſt quædam ſubſtantia viuens ſimplex, incorporea, inuiſibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico corpore vtens, ipſumq; regens, & inhabitans, & totam in membris ſingulis ſe diffundens, & ipſi corpori augmentationem, ſenſum, & generationem tribuens; liberè, & voluntariè agens, & ſpiritu arbitrio fungens, & in ſe imaginem Dei rapreſentans. Per animam, quæ corpori eſt prælata, ipſumq; portat, viuificat, atq; regit, poſſum intelligere Prẹlatum, qui procul dubio corpori collegij, & Eccleſiæ prælatus eſt: ipſumq; per gratiam occaſionaliter, & miniſterialiter viuificat, & per diſcretionem gubernat. Iſte igitur debet eſſe viuens, ſcilicet vita gratiæ ſimplex, ideſt ſine aliqua malitia, incorporeus, ſine carne carnalis malitiæ, ſiuè immunditiæ; inuiſibilis per cautelam, humilis ſui ipſius cuſtodiæ, & immortalis per continuitatem bonæ perſeuerantiæ, nunquam per culpam lethalem deficiendo, ſed ſemper in vita gratiæ perſeuerãdo. Inſuper debet eſſe inuiſibilis nunquam ſe propalando; ſed bona ſua opera ab oculis hominum abſcondendo; quia proculdubio qui talem immortalitatem vult habere, debet ſe abſconditum, & inuiſibilem exhibere. 1. Timot. 2. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.* Iſte etiam debet eſſe rationalis per pruden-

tiam, & discretionem; intellectualis per fidem, scientiam, & cognitionem. Infigurabilis per amotam omnem hypocritam fictionem. Chorum, & collegium, siuè conuentum inhabitans per præsentem visitationem, ipsumq; regens per iurisdictionem, mouens ad bonam operationem; augmentans per spiritualem, & temporalem fæcundationem, & promotionem; sibique tribuens, & ministrans sensum, & rationem, & bonorum operum generationem, & productionem; voluntariæ etiam operans, & agens mentis in Deū per spontaneam bonorum actuum eleuationem, & eductionem; imaginem etiam Dei habens per bonam, & moralem ipsi Deo conformationem; & in membris, & subditis omnibus, ac singulis se diffundens per cuiuslibet curam, & gubernationem; & per cuiuslibet amorem, & dilectionem. Quia videlicet bonus Prælatus se debet omnibus subditis intimum quodammodo afficere, & quemlibet per charitatem inhabitare, & de salute cuiuslibet cogitare, & non per acceptionem personarum vnum dimittere, & alium promouere; sed omnibus se totum, & totaliter exhibere. Sap. 6. *Æqualiter est cura ei de omnibus; & non est acceptio personarum apud illum.* Multa mala Prælatus facit, qui sophisticè procedit, & personarum acceptor existit. Hæc omnia,

nia, quæ de bono, ac perfecto Prelato dicta sunt, possunt, inquam, intelligi de quouis simplici Sacerdote, ac viro sæculari, qui perfectioni, ac virtutibus incumbit; quia rectè est anima, & vita omnium intuentium in eum. Anima corpus non occupat, neque grauat, & tamen ipsum viuificat, atque portat. Habet autem anima similitudinem creatoris; quia scilicet respectu animę, & non corporis ad similitudinem Dei factus est homo; nempe in actu secundò, idest in operatione secundum Augustinum. Anima quãuis sit de se purissima, tamen propter coniunctionem cum carne, multas incurrit passiones, & sordes; Sic verè bona persona quamuis pura, munda, & religiosa existat; si tamen carni, idest alicui personæ carnali associata fuerit, & coniuncta, sordes vitiorum contrahit, & ipsius malis verbis, & exemplis, malas conditiones faciliter incurret. Eccl. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam*. Et in Psalmo. *Cum peruerso peruerteris.*

Ad benedicendum ergò, & ad laudandum Deum, gratiasq; ei agendum, spiritus, & animæ iustorum inuitantur, non impiorum, quia odio est Deo impius, & impietas eius; *Et ideò non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in Concilio iustorum; quoniam nouit Dominus*

viam iustorum, & iter impiorum peribit.

[Benedicite Sancti, & humiles corde Domino] Non solùm Spiritus, & animę iustorum; sed etiam Sancti, & humiles corde ad benedicendum Deum vocantur. Quid sit Sanctus, iam supra in prima parte diximus, solùm hic addo, quod Deus magnam sanctitatem à nobis requirit: *Estote ergò vos perfecti, sicut & Pater vester cęlestis perfectus est.* Et Diuus Petrus nos hortatur ad sequenda IESV Christi vestigia; dum dixit: *Christus passus est pro nobis relinquens vobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Humiles vocantur ad Diuinas laudes persoluendas; quia superbi non possunt placere ei, cum ipse sit humilitatis magister; dum ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & omnis, qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur; & Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et in cantico Beatissimæ Virginis MARIÆ: *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes* (ideſt superbos) *De sede; & exaltauit humiles.* sed dicet aliquis, quomodo possumus fieri humiles: Respondeo: quod singulis diebus, aut horis, debemus hanc præstantissimam margaritam à Domino postulare in actibus humilitatis, ob Dei amorem nos exercere; nihil quod superbè sapiat dicere, facere, aut cogitare;

gitare; & in brachia Domini nos immittere. Reliqua huius cantici(vt verbis Pererij vtar) nec obſcuram habent ad intelligendum ſententiam: nec quicquam, quod à nobis in præſens ſingulari aliqua tractatione dilatari, & illuſtrari magnopere deſideret; niſi fortè quis putet illud hoc loco moneri lectorem oportere, quod ante nos ab alijs obſeruatum,& proditum eſt: hoc canticum non eadem formula decantari apud Græcos, & Latinos,qua ſcriptum eſt in hoc Danielis volumine ſiue cantico. Etenim apud vtroſq; omisſis aliquot verſibus, qui ſunt in principio,incipit canticum ab eo verſu.

[Benedicite omnia opera Domini Domino]. Deinde apud Danielem pars illa: [Laudate, & ſuperexaltate eum in ſęcula] toties repetitur, quoties ponitur verbum illud [Benedite] Apud Latinos verò in principio tantùm, & in fine hymni canitur duobus ſemper verſibus in vnum coniunctis. In fine autem cantici additum eſt; [Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu: vel Spiritum Sanctum &c.] Quod nec apud Danielem legitur, nec ab illis tribus pueris, ſiuè iuuenibus dictum fuit. Apud Græcos autem ijs Creaturis, quæ apud Danielem in duobus verſibus ad laudem Dei inuitantur, in vnum verſum coniunctis ſub vno verbo

[Benedicite] semel posito, semper deinde illud additur: [Laudate, & superexaltate eũ in sæcula]. Præterea in fine cantici à Græcis additur: Benedicite Apostoli, Prophetæ, & Martyres Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula: Benedicimus Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum Dominum, laudamus, & superexaltamus eum in sæcula: laudamus, benedicimus, adoramus Dominum: Laudantes, & superexaltantes eum in sæcula. Amen.

CAP. VII.

Laudate Dominum in Sanctis eius; Laudate eum in firmamento virtutis eius,

PSALMVS 150.

18 O Vos fideles laudate Dominum in Sanctis eius. Ideſt considerate primò beneficia, quæ Deus contulit viris sanctis veteris Testamenti scilicet Abel, Noe, Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysi, Dauid &c. Quæ omnia erant figura Christi, & Ecclesiæ, & sic laudare Deum in eis, qui talia dona eis communi-

nicauit . Et vos noui Teſtamenti fideles conſiderate, & dona gratię contemplamini, quæ Chriſtus communicauit Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Doctoribus, Virginibus, ac cæteris viris Sanctis: quæ dona fuerunt ſupra humanam facultatem, per quæ Deus oſtendit in ſanctis ſuis ſuam Omnipotentiam, & ſapientiam, & bonitatem, & cæteras perfectiones . Et ſic laudate Dominum in Sanctis eius, gratias nempè agendo, Miſſæ ſacrificium offerendo, laudes Diuinas perſoluendo, dies feſtos celebrando, tryumphos Martyrum prædicando, & dona iſta omnia ad Chriſtum referendo. Quia laudare Deum in Sanctis eius, nihil aliud eſt ; niſi triumphos, & virtutes eorum in Chriſtum referre laudando ipſum, & gratias ei agendo; ſed quia dona gratiarum, & virtutum Chriſti maximè viguerunt in Apoſtolis, qui fuerunt firmamentum, & fundamenta Eccleſiæ: ideò ſubdit . Laudate eum in firmamento virtutis eius, ſcilicet, in Collegio Apoſtolorum: ſuper quos Chriſtus fundauit, & ſuam Eccleſiam firmauit ; & qui firmarunt Eccleſiam miraculis, ſignis, & doctrinis . Et etiam per firmamentum, & fundamentum virtutis Chriſti intendit totam Eccleſiam, quæ dicitur firmamentum virtutis Chriſti: vbi virtutes prædicantur, & Eccleſiaſtica Sacramenta (in qui-

bus virtus Passionis Christi continetur) celebrantur, & exercitantur, ac frequentantur. Quasi dicat: Laudate eũ in Ecclesia, quæ est firmamentum virtutis eius per Ecclesiastica Sacramenta. Sed quia Apostoli, & Sancti viri operati sunt multa signa, & miracula virtute nominis Christi; vt patet in actibus, & historijs Apostolorum, Martyrum, ac aliorum sanctorum: Ideò subdit:

Laudate eum in virtutibus eius: Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

19 QVasi dicat: omnia dona gratiarum, & omnia signa, & miracula, & bona omnia opera, quæ Sancti in hac vita fecerunt, referatis ad Christum: quia ipse tanquam caput Ecclesiæ contulit, & communicauit eis omnia. Et ideò laudate Christum in Sanctis eius. Quod totum etiam potest referri ad statum, & gloriam Sanctorum: quasi dicat: O vos fideles laudate Deum, qui est in Sanctis eius, & in Cęlo Empireo, quod est firmamentum virtutis suæ; & laudate eum in Virtutibus eius Angelicis: quia ibi Deus est omnia in omnibus &c. Deinde dicit.

20 *Lau*

20 *Laudate eum in ſono tubæ: Laudate eum in Pſalterio, & Cythara.*

21 *Laudate eum in tympano, & choro; Laudate eum in chordis, et Organo.*

22 *Laudate eũ in cymbalis beneſonãtibus Laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.*

HIC Propheta docet quibus inſtrumentis muſicis iſte pſalmus cantabatur in templo, nempe cum octo. Primò in ſono tubę; 2. in pſalterio; 3. in Cythara, 4. in tympano, & choro, 5. cum cordis: ideſt cum monucordo; 6. cum organo fiſtularum; 7. cum cymbalis beneſonantibus: 8. cum cymbalis iubilationis: cum his ergò octo inſtrumentis dicit Dauid, quod debemus cantare hunc pſalmum; & in templo ipſum cantari præcipiebat; per quę materialia inſtrumenta figurabantur octo myſteria, ſub quibus in Eccleſia Chriſti Deum laudamus. Nam illa octo inſtrumenta, cum quibus in templo Salomonis pſalmi cantabantur; ſignificabant myſteria Euangelica de Chriſto, & Eccleſia, quæ nos hodie prædicamus, & celebramus. Et ideò Dauid in hoc pſalmo per tym-

laudamus; scilicet fidem articulorum, & charitatem decem præceptorum,& omnium consiliorum; & spem gratiæ septem Sacramentorum, & ideò Cythara septem continet cordas,septem Ecclesiastica Sacramenta significantes; quibus renouamur, sanamur, reficimur, roboramur, & insignimur. Per sonum autem prædicationem Apostolorum intendit, per quam Ecclesiam in vnum congregarunt, &c. Per chorum intendit Dei omnipotentiam in opere nostrę creationis, & redemptionis. Per monocordum vitæ concordiam intendit,quam vna cum doctrina habere debemus. Per organum intendit corporis consonantiam ad animam, quò ad immortalitatem, quam per resurrectionem consequemur. Per cymbala benesonantia vocationem populi intendit ad Diuina officia in Ecclesia audienda. Per cymbala verò iubilationis intendit melodiam, & iubilationem Diuinorum officiorum, quæ in Ecclesia militante per gratiam,& in triumphante per gloriam celebrantur. Nihil enim aliud est cum supradictis instrumentis Deum laudare, nisi omnia dicta mysteria de Christo, & Ecclesia credere,prædicare,& celebrare. Item etiam Dauid per monocordum intendit cōcordiam omnium membrorum corporis mysticè Ecclesiastici ad suum caput, qui est

Iesus Christus: quod quidem corpus Ecclesiasticum consistit in quodam ordine, & subordinatione statuum, prælationum, & officiorum. Et hoc est monocordum Euangelicum per illud materiale instrumentum significatum. Item per organum etiam intendit consonantiam, & concordiam noui, & veteris testamenti: quia nihil gestum, aut scriptum est in veteri testamento, quod per Christum in nouo adimpletum non fuerit: Non enim Christus venit soluere legem; sed adimplere: Et nihil factum est in nouo testamento, quod figuratum, aut vaticinatum non fuerit in veteri testamento: Omnia enim in figura contingebant illis; idest Iudeis.

Et ideò omnia instrumenta musicalia materialia, cum quibus cantabantur psalmi in veteri testamento, figurabant supradicta mysteria in Christo, & in Ecclesia sua sponsa. Et sic quod illi cantabant propheticè, & in figura, nos cantamus Euangelicè, & in veritate: Quasi dicat Propheta Dauid. O vos fideles noui testamenti, laudate Dominum Iesum Christum in suo aduentù: Primò in sono tubę, idest: prædicate Euangelium omni creaturæ, & exercete tubam Euangelicam. Secundò; Laudate eum in psalterio morali, decem præcepta moralia obseruando, & lau-

da-

date eum in psalterio Euangelico fidei articulos firmiter credendo. Et vos Beati laudate eum cum psalterio decem chordarum; decem scilicet cælestium gaudiorum Deum videndo, diligendo, fruendo &c. Tertiò. Laudate eum vos fideles cum cythara Euangelica, scilicet, cum fide Trinitatis, & omnium articulorum, vna cum charitate decem præceptorum, ac cum gratia Sacramentorum. Quartò. Laudate eum in tympano, mortem, & passionem eius contemplando. Quintò. Laudate eum in choro, quod est instrumentum rotondum, per quod denotatur eius omnipotentia, & æternitas; idest magnificate eius omnipotentiam, & æternitatem, & ideò exhibite illi cultum, & honorem latriæ. Sextò. Laudate eum in chordis, idest, cum monocordo vitæ, ac doctrinæ. Septimò. Laudate eum cum organo consonantiæ corporis ad animam, quàm per resurrectionem adepti estis. Octauò. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, euangelica festa, tryumphos Christi, ac Sanctorum Martyrum celebrando, & fideles ad Diuina officia vocando. Nonò. Laudate eum in cymbalis iubilationis, hymnos, & psalmos, & Diuina officia dulciter cantando, ac illa septies in die persoluendo. Cum his ergò supradictis conditionibus (Propheta, quasi di-

dicat) omnes fideles tenemini Deum colere, ac laudare, quia aliter Deus non potest coli, nec verè credi, nec laudari; nisi Trinus, & Vnus, & incarnatus &c. prout lex Euangelica prædicat. Et quia taliter Deum laudare omnibus spiritualibus creaturis conuenit, ideò concludit Propheta dicens: omnis spiritus laudet Dominum, idest, modo supradicto laudet Dominum Trinum, & Vnum, Creatorem, Redemptorem, & Glorificatorem prout dictum est. Hoc autem psalteriũ Euangelicum decachordum dicitur ab ipso Dauid, eò quod decem chordas Euangelicas principales continet, quæ sunt decem principales articuli, quos principaliter Ecclesia confitetur. Quorum primus est articulus Trinitatis: Secundus creationis, Tertius Incarnationis: Quartus prædicationis, & miraculorum operationis Christi: Quintus passionis, & nostræ redemptionis; Sextus Resurrectionis: Septimus Ascensionis, & vniuersalis Iesu Christi iurisdictionis; Octauus in Apostolos Spiritus Sancti missionis; Nonus Sacramentorum efficaciæ, & perfectionis: Decimus futuri iudicij examinationis, & retributionis. Isti sunt decem articuli principales, quibus annectuntur alij sub eadem fide credendi, scilicet, Descensus Christi ad Inferos, & Liberatio Sanctorum Patrum veteris testa-

ſtamenti, & auctoritas vnius Eccleſiæ eidem tradita à Spiritu Sancto; & reſurrectio generalis; & remiſſio peccatorum per pœnitentiam; & Eccleſiaſtica Sacramenta, vnà cum vita æterna iuſtis promiſſa. Qui quidem articuli in decem primis principalibus continentur: vt intuentibus apparet; eodem ferè modo, quo chordæ paruę inter principales in inſtrumentis muſicis ponuntur. Vnde iſti articuli chordæ pſalterij Euangelici dicuntur, eò quod inter ſe continent concordiam quandam, & harmoniam, ac ordinem, quia vnus articulus, ſecundum ordinem, alium præſupponit. Articulus enim creationis, Trinitatis articulum præſupponit, & emanationis Diuinarum perſonarum. Et articulus Incarnationis præſupponit articulum Trinitatis, & creationis: quia ſola ſecunda perſona fuit incarnata, nempe Verbum Diuinum. Et talis incarnatio facta eſt per nouam creationem animæ Chriſti. Nam tota Trinitas creauit illam, & opere ſancti ſpiritus illud corpus ex puris ſanguinibus Virginis MARIÆ in vno inſtanti formauit, & totum illud animatum corpus in eodem inſtanti in vnitate ſuppoſiti, & perſonaliter Verbum aſſumpſit. Et ſic patet, quod Incarnatio Verbi præſupponit Trinitatem Diuinarum perſonarum, & creationem; & omnes

nes

nes alij articuli etiam humanitatis IESV Christi, articulum Incarnationis præsupponunt: Nam si Christus non fuisset Deus, & homo, tam præclara miracula non fecisset, nec eius passio tanti valoris fuisset; nec Infernum expoliasset, nec propria virtute à mortuis resurrexisset. Hoc est ergò psalterium decem chordarum principalium cum suis annexis sequentibus, quod Propheticè Dauid cecinit in suis psalmis; nam in quolibet psalmo cantauit, & pulsauit propheticè aliquam, vel aliquas chordas huius Euangelici psalterij. Et hoc idem psalterium, quod propheticè Dauid cantauit in hoc psalmorum libro, nos cantamus Euangelicè in Ecclesia; quia tota lex Euangelica propheticè in hoc libro continetur, vt sæpè dictum est. Ideò Ecclesia in omnibus officijs frequentat, & cantat psalmos Dauid simul cum Euangelio, hunc modum tenendo. In matutinali officio cantat tres nocturnos ex psalmis Dauid cum lectionibus vt plurimum veteris testamenti; sed in tertio nocturno IESV Christi cantat Euangelium. Et pari modo in missa; Introitus, responsum, & graduale, communiter summuntur ex libro psalmorum, & lectio legitur ex testamento veteri, aut ex doctrina Apostolica, sed finaliter legitur Euangelium, per quod denotatur concordia,

&

& conſonantia legis Euangelicæ cum veteri teſtamento. Quia Euangelium nihil aliud eſt, niſi veritas legis veteris. Et ſic patet, quod tota lex Euangelica eſt pſalterium illud decachordum, quod Dauid propheticè in pſalmis decantauit, & hanc Diuinam, eruditiſſimam, deuotiſſimã, ac mirabilem explicationem ab eruditiſſimo, deuotiſſimo, ac mirabili Viro D. Iacobo de Valentia accepi, ſine cuius auxilio, aut cæleſti reuelatione fateor me talem non potuiſſe inuenire ſenſum: quicquid ergò, bone Lector in huius pſalmi explicatione boni inueneris poſt Deum Trinum, & Vnum gratias D. Iacobo de Valentia age. Errores tantum mihi attribue.

ANTIPHONA.

Dicenda poſt ſacrum.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem

℞. Sed libera nos à malo.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

℞. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt ſancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

℣. Non nobis Domine non nobis.

℞. Sed Nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius: vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere: qui Beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

MO-

MONITA PRO SACERDOTIBVS

Pars III. Cap. VIII.

Circa cerimonias Missæ seruandas; iuxta quandam deuotam expositionem (quibusdam additis) Brixiæ typis de superiorum licentia mandatam: quam ex idiomate Italico in Latinum ob bonum publicum transtuli.

I. SAcerdos, qui celebrare voluerit, prius confiteri debebit (si confessione indiguerit) & saltem matutinum vna cum laudibus recitare. Cum ad Sacrarium peruenerit, retrò omnibus sęcularibus negotijs relictis, orationi aliquantulum vacet: & orationes superiùs positas vna cum psalmis in Missali Romano ordinatis persoluet. Inueniet Missam, ac diligenter perleget; ac signacula suis locis adaptabit. Multi enim confusi in Altari remanserunt, eò quod impræparato Missali ad altare accedunt. Abluet manus dicens [Da Domine virtutem manibus

&c.] Parabit calicem cum omnibus rebus necessarijs pulchris,& mundis,leuabit ab integra hostia omni fragmenta; & laudabile erit si etiam vrceolos, siuè ampullas perspiciet. Vinum nempè,& aquam, imò consultiùs erit Sacristis retinere vinum speciale pro sacrificio Missæ, & nullo modo vti residuo diei præteriti, aut residuo cenæ antecentis; & certè indignissima res est sine prudentia accipere in promptuario quicquid præ manibus accurrit; non raro enim acetum pro vino, aut vinum iam corruptum aliqui acceperunt (vinum enim in instanti corrumpi potest) prudentes Religiosi vinum pro missæ sacrificio ab alio retinent separatum; & deberet, si possibile foret semper esse album, defecatum, aut purgatum. Sacerdos item debebit esse indutus veste oblonga,& conueniente,clerica tonsus,à superiore labio(Italicè i mostacchij) præcisus. Cauendus est etiam abusus quorundam sacerdotum, qui semiuestem in sacrario retinent, illamq; ad latera,dum sacrum faciunt,præcingunt,& peracto sacro reponunt; nec debent retinere in digito annulum, dum celebrant.

II. Induet se paramentis sacris iuxta ordinem Missalis; quæ debent esse munda, integra, non scissa. Iam indutus, manu sinistra calicem accipiet in nodo, quem adeò eleua-

tum

tum portabit, vt summitas ipsius ad pectus perueniat; manum dexteram supra bursam tenebit: & facta reuerentia Cruci, vel imagini, quæ sit in sacrario, procedit ad Altare cooperto capite, oculis dimissis, erecto capite, incessu graui; neminem salutabit, nec salutationem reddet. Si transierit ante Altare maius, faciet ad illud reuerentiam; & si ibi fuerit Sanctissimum Sacramentum genuflectet cooperto capite; & si expositum fuerit, vel eleuatio, aut communio fiet, caput nudabit; nec surget, donec super Altare celebrans deposuerit. Hoc autem sano modo intelligendum est de communione solius celebrãtis; quod si celebrans prosequitur, alias personas communicando, alter non debet sistere ibi, sed ad sua peragenda pergere.

III. Cùm peruenerit Sacerdos ad primum gradum Altaris, porriget berretum clerico, qui eum collocabit extra Altare; & Altari, seu imagini Crucifixi desuper positę profundè se inclinat; Si autẽ in eo fuerit tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reuerentiam absq; alio vitæ motu. Tunc ascendit ad medium Altaris: ibi ad cornu Euangelij sistit calicem, extrahit corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud calicem velo coopertum collocat: bursam autem ad cornu Euan-

gelij . Collocato calice in Altari accedit ad cornu Epiſtolæ, miſſale ſuper cuſſinum aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum cruci reuerentia, vertens ſe à cornu Epiſtolę deſcendit infra infimum gradum Altaris, ideſt in plano Capellæ.

IV. Cum ita ad infimum gradum deſcenderit, Cruci profunde ſe inclinans, vel ſi ibi fuerit tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti genuflectens abſq; alia reuerentia, & erigens ſe, ſiniſtram ponet infra pectus; dextera verò vertens ad ſe palmam, à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum ſignum Crucis formabit, quod ſemper ſeruabitur, nec vnquã digitos oſculabitur; ſed ſtatim ante pectus manus iunget adeò, vt ipſarum ſummitas faciem, non Altare reſpiciat; iunctis pariter digitis, & pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis, quod ſemper ſeruatur quando iunguntur manus, præterquam poſt conſecrationem: cum dicet [Gloria Patria &c.] caput inclinabit, non corpus: ad verſiculum [Adiutorium noſtrum &c] faciet crucem vtſupra; ad [Confiteor, &c.] profundè ſe inclinabit; & eodem modo ſtabit, donec clericus ſuam confeſſionem incipiet. Cum Sacerdos dicit [mea culpa] ter pectus

dex-

dextera manu percutiet, sinistra infra pectus posita; nec Postea digitos osculabitur. Cū dicet [vobis fratres, & vos fratres] non se vertet, nec vllum capitis, aut vitæ motum faciet. Cum dicet [Deus tu conuersus &c.] aliquantulum inclinatus permanebit, non demissiùs se inclinando, vel mouendo, donec perfecerit [Oremus] quod eadem voce proferet extendens simul, & iungens manus adeò rectas, vt in extensione non excedant latitudinem vitę; quod in omni manuum extensione seruabit: Ascēdens rectus ad Altare Dicet (Aufer à nobis &c.)

V. Postquam ad medium altaris ascenderit stans manibus iunctis super ipsum, ita vt digitorum paruulorum extremitate solùm tangat anteriorem partem altaris, non seiungendo tamen ab alijs. Qui modus semper obseruetur cum manus iunctę super altare ponuntur. Inclinatus non tamen profundè, dicet (Oramus te Domine) cum dicet [Quorum reliquiæ &c.] manibus extensis hinc inde super altare positis, osculabitur in medio, non obliquans corpus; sed se rectè dimittens; quem modum osculandi altare semper seruabit, cum contigerit: nec vnquam Crucem faciet super ipsum altare, nec supra librum, aut aliud, quod osculari debuerit. Discedens à medio altaris nullam reuerentiam faciet;

ſed ad miſſale procedet manibus iunctis . Aduertens in celebratione Miſſæ, vt dictinctè legat, non properè, nec multum lentè, nec voce nimis elata,nec multum ſubmiſſa; ſed mediocri, graui,& intelligibili;ſecreta verò ea voce dicantur, vt ſeipſum audiat,& alij non intelligant . Incipiens introitum ſignabit ſeipſum, vt ſupra; cum dicet(Gloria Patri &c.) Cruci caput inclinabit tenens manus iunctas: repetens verò introitum nō amplius ſe ſignabit . In Miſſas de(Requiem) in introitu crux fit in aere ſuper Miſſale initio ipſius introitus,non in repetitione, nec minus in alio loco Miſſæ(Requiem.)

VI. (Kyrie eleiſon) dicuntur omnes manibus iunctis in medio altaris , & non incedendo , ſicut maior Sacerdotum pars facit : excepta Miſſa ſolemni , in qua dicuntnr ad Miſſale ſimul cum miniſtris . Cum dicitur (Gloria in excelſis) ſi dicendum eſt, extenduntur directè manus, non inclinatis ijs priùs ſuper altare, & eleuantur vſque ad humeros; quod in omni manuum eleuatione obſeruetur,non leuabit Sacerdos oculos: ſed cum dicet (Deò) iungit manus , caput Cruci inclinans, non vitam; ſimiliter faciet cùm dicet (Adoramus te) Gratias agimus tibi) IESV Chriſte (ſuſcipe deprecationem noſtram) In fine verò,cum dicet(cum Sancto Spiritu)

seipsum signabit, vt supradictum est; nec postea manus iunget: sed illis seiunctis super altare positis illud osculabitur in medio, vt supra; cum dicet (Dominus vobiscum) stans in medio altaris vertit se à cornu Epistolæ ad populum cum grauitate, iunctis manibus, demissis oculis; extendens verò manus, non excedet latitudinem vitæ. Et tenebit manus erectas, & faciet, quod palma vnius manus respiciat alteram nec inclinabit caput versus populum, nec dorso debet hærere altari, & simili modo faciet, dum dicet (Orate fratres) & vertens se ad cornu Euangelij dicet secretè [vt meum, ac vestrum sacrificium, &c.]

VII. Dum dicet orationes, dicto ad Missale (Oremus) inclinans caput Cruci, & iungens manus tenebit manus extensas ad latitudinem, & altitudinem humerorum, nec debet eas vltra excedere; & faciet quod vna palma alteram respiciat, digitis erectis, ac simul vnitis: quod in omni extensione manuum ante pectus seruatur. Cum dicit [per Dominum nostrum] iungit manus, easq; iunctas tenebit vsq; ad finem. Ad IESVM Christum caput Cruci inclinabit. Si verò oratio concludit in (Qui viuis &c.) aut [Qui tecum &c.] nec caput cruci inclinabit, nec vllam faciet reuerentiam; sed simpliciter iunget manus. Cum dicit (In Vnitate) Si in

ſtram tenebit ſuper illum, & quando ſignat ſe ipſum infra pectus. Perlecto Euangelio non ſignabit miſſale amplius, nec ſe ipſum; ſed Sacerdos parumper librum eleuans oſculatur principium Euangelij: dicens (Per euangelica dicta &c.) quod in Miſſis defunctorum relinquitur: Si opus fuerit inclinare caput, vel genuflectere in Euangelio; inclinationem, & genuflexionem faciet versùs Miſſale, & non versùs Crucem.

IX. Si dicendum eſt (Credo) eleuabit, ac iunget manus, vt ſupra nō extollendo caput aut oculos. Caput īclinabit quādo dicet (Deū, IESVM Chriſtū, ſimul adoratur] cū dicet (& in carnatus eſt &c.) vſq; ad (& homo factus eſt incluſiuè) poſitis manibus ſeiunctis ſuper Altare hinc inde, genuflectit genu dextro ſuper ſcabellum, ſiuè baſem Altaris, corpore, ac capite erectis. Aduertat Sacerdos, dum facit huiuſmodi genuflexionem: ne retrò pendeat vita, ſiue corpore, aut adeò pedem extendat, vt extra ſcabellum cadat, ſed omnino rectus deſcendit, ſiuè genuflectit (quōd ſemper ſeruabit, quāndo ſunt faciendæ genuflexiones) dum dicit (Et vitam venturi ſæculi &c.) producit ſibi manu dextra ſignum Crucis à fronte ad pectus, &c. & non iunget manus. Dum dicit offertorium; manus iunctas tenebit, ſtans in medio Altaris.

X. Dum accipit patenam vna cum hoſtia, vt offerat,non faciet ſuper illam ſignum Crucis ; ſed ambabus manibus ante pectus eam eleuatam tenens,oculis ad Deum eleuatis, & ſtatim demiſſis: dicet (ſuſcipe Sancta Trinitas) quo dicto , & non anteà faciet Signum Crucis diſtinctum, extenſum , non punctatum,cum patena ſupra corporale, poſita hoſtia in medio corporalis ex parte anteriori: Nec abſterget patenam planeta, aut purificatorio,ſed reponet illam aliquantulum ſubtùs corporale ex parte Epiſtolæ , & cooperiet purificatorio . In infundendo vinum in calicem nihil dicet,ſed facto ſigno Crucis ſuper aquam: dicet: (Deus qui humanæ &c.] & infundens parum aquæ in calicem:dicet (Da nobis per huius aquæ,& vini myſterium &c.) ſi verò celebrat pro defunctis non facit ſignū Crucis ſuper aquam . In offerendo Calicem tenebit illum circa altitudinem pectoris ambabus manibus,& dicet;(offerimus tibi &c.) ſemper eleuatis oculis, deinde faciat crucem, vti fecit cum patena.

XI. Quando dicet [In ſpiritu humilitatis &c.] manus tenebit iunctas ſuper Altare, vt ſupra: & ſtabit aliquantulum inclinatus, & poſtea erectus eleuans oculos , manuſq; expandens,& ſtatim iungens ante pectus(quod ſemper facit , quando aliquid eſt benedicturus

rus) dicit : (Veni ſanctificator &c.) cum dicit (Deus) iunget manus , & caput crucem verſus inclinabit : In formanda Cruce ſuper calicem , & ſuper hoſtiam ponet manum ſiniſtram extenſam ſuper Altare, ac manu dextra Signum Crucis hoc modo formabit ✠ & non cum quatuor ſignis, aut punctis ⁖ quē modum ſignandi Calicem, Hoſtiam, aut Sacramentum ſemper ſeruabit ; quando opus fuerit: iunctis prius manibus.

XII. Quando diſcedit è medio Altaris; eundi gratia ad lauandas manus, caput Cruci non inclinabit ; & poſtquam lauerit ſibi manus, digitis labia non lauabit. Cum reuerſus fuerit ad medium Altaris, iunctis manibus ante pectus ; oculis in altum eleuatis abſq; manuū motione , ſic iunctas ponet illas ſuper Altare , & aliquantulùm inclinatus dicet ; (Suſcipe Sancta Trinitas &c.) Si Clericus non dicet(Suſcipiat &c.) illud dicet ipſimet Sacerdos , ſtans erectus in medio Altaris iunctis manibus , quas diſiunget ad orationes ſecretas, in quibus ſecretis non dicet; (Oremus) Peruento autem in concluſione vltimæ ſecretæ ad verba illa (Per omnia ſęcula, ſæculorum &c. excluſiuè) Sacerdos ſtans in medio Altaris, depoſitis ſuper eo manibus , hinc inde extenſis, dicet conuenienti voce ac intelligibili (Pręfationem) cum dicit Surſum corda)

da) eleuat manus hinc inde extensas vsq; ad pectus, ita vt palma vnius manus respiciat alteram: cùm dicit (Gratias agamus Domino) iungit manus; cum dicit(Deo nostro) eleuat oculos, & statim Cruci caput inclinat: Responso (Dignum, & iustum est) eleuatis, & extensis, vt priùs manibus, prosequitur (Præfationem) propriam, vel communem, vt tempus requirit: cum dicit(Sanctus) iunctis manibus ante pectus, & inclinatus voce mediocri prosequitur. Ministro interim paruam campanam pulsante: cùm dicit(Benedictus qui venit in nomine Domini &c.) erigit se, & signum Crucis sibi producit à fronte ad pectus. Quæ ferè omnia quoad præfationem accepi ad literam ex Missali. Aduertendum est, quod non inclinatur caput, quando dicit (Per Christum Dominum nostrum) nec ad(Sanctus) percutitur pectus.

XIII. Ad Canonem eleuat aliquantulùm manus expansas erectas, vt dictum est, non ponendo illas priùs super Altare, oculis ad Deum eleuatis, ac manibus iunctis super Altare positis, vt supra profundè inclinatus dicet: non priùs (Te igitur Clementissime Pater &c.) ad (Memento) iunget simpliciter manus, non tangens Altare, nec eleuans in altū oculos, sed tenet manus iunctas ante pectus, vel ad faciem, ita tamen, quod summitas ea-

rum

rum mentum non tranſcendant: ſtabit oculis clauſis, capite aliquantulum demiſſo. Poſtea proſequitur (Et omnium circumſtantium &c.) quæ dicet voce ſubmiſſa; quod etiam ſeruatur in alijs ſecretis: Et obſeruabit in memento mortuorum; in quo tamen non tenentur oculi clauſi quia debet reſpicere Sacramentum.

XIV. Poſtquam acceperit Hoſtiam pollice, ac indice ambarum manuum, eleuatis in Cælum oculis, vt ſupra, non eleuabit calcaneum reuerentiæ gratia: parum caput inclinabit ad illa verba (tibi gratias agens) quod idem ſeruabit, quando eadem verba ante calicis conſecrationem pronunciabit. In conſecratione Hoſtiæ, ac Calicis poſitis ſuper Altare cubitis proferet verba conſecrationis lentè, continuatè, ac attentè, & aduertat Sacerdos, ne faciat aliquem motum capite, aut ore, ac ſimiliter cauere debet, ne ore, aut barba tangat Hoſtiam, aut Calicem. Dum facit genuflexionem, ac ſurrectionem à terra, oculos fixos in Sacramento tenebit. Et poſt eleuationem Hoſtię digitos tenebit coniunctos, & nullo modo illos diuidet. Faciet eleuationem Hoſtiæ, ac Calicis cum grauitate rectam ſuper corporale, & nunquam retrò ſuper caput; & eleuabit Hoſtiam, ac calicem, adeò vt à circumſtantibus videantur, nec brachia

elena-

eleuabit inordinatè in descendendo inferius, siuè genuflectendo, non osculabitur manum, Hostiam, aut Calicis pedem. Dum genuflectit ante Sacramentum, tenebit semper digitos, quibus Hostiam tetigit super corporale, & nunquam illos disiunget, nisi post factam purificationem. Si opus fuerit abstergere digitos in calicem, non purgabit illos ad labium calicis. Facta calicis consecratione in genuflectendo dicet submissa voce (Hæc quotiescumq; &c.) & hoc non dicit, in deponendo, aut eleuando Calicem.

XV. Vnde, & memores Domine, &c.) dicet post factam genuflexionem, & non in facienda illa. Deinde stans rectus expansis manibus ad altitudinem humerorum: & in eadem forma manebit dum dicit (Supra quæ propitio) sed ad illa verba (supplices te rogamus, &c.) stabit iunctis manibus super Altare, ac profundè inclinatus in dicendo (Nobis quoque peccatoribus) stans rectus, manus sinistra super corporale posita, dextera leuiter percutiet sibi pectus, aduertetq; ne se tangat duobus digitis, quibus Sacramentum tetigerat; quod etiam seruabit, quando dicit (Agnus Dei) & [Domine non sum dignus) quibus peractis, non osculabitur digitos. Dum facit tres Cruces cum Hostia aduertat, vt illas faciat intra labia calicis; alias verò duas intra

Ca-

Calicem, & pectus : dicens[eſt tibi Deo Patri &c.] Dum defert Hoſtiam ſuper Calicem non portabit illam retrò , nec circuibit ; ſed rectè delata, ac retenta ; ſuper ipſum calicem parum eleuabit : dicens [Omnis honor &c.] Cùm dicet (Pater noſter) extendit manus, & ſtans, oculos ad Sacramentum intentos tenet. Dum accipit patenam , illam abſtergit purificatorio. Cum ſignat ſe patena, manum ſiniſtram ponit infra pectus , deinde patenam ipſam oſculatur ; nec illam ampliùs abſterget planeta, aut purificatorio . Poſtquam Hoſtiam deuotè diuiſerit in medio ſuper calicem, & poſita illa parte, quam manu dextera tenebat ſuper patenam , ex altera parte Hoſtiæ paruulam partem ex inferiori parte franget, & dum dicit(In Vnitate]adiunget duas partes Hoſtiæ ſuper patenam . Et cum illa particula tres Cruces faciet intra calicem : dicens : [Pax Domini &c.] Ad primum (Agnus Dei] & non in alijs duobus manus iunctas ante pectus tenebit; & dum ſe manu dextera percutit , ſiniſtram ſuper corporale ponet : ſtans inclinato capite. In Miſſis Defunctorum, non percutiet ſibi pectus , nec diſiunget manus.

XVI. Dicet Sacerdos orationes , quæ ante communionem ſunt dicendæ , iunctis manibus ſuper Altare, oculis ad Sacramentum in-

tentis, inclinatus, non tamen profundè. Dum dicit (Domine non ſum dignus) patenam aliquantulum eleuatam tenebit intra Calicem, & pectus; & ſtans in medio Altaris parum inclinatus, non tamen adhærebit Altari, neq; ſe flectet in aliquam partem, aut calcaneum leuabit. Dum ſignat ſe ipſum ſigno Crucis cum Hoſtia, ac Calice, caueat ne tàm in altum eleuet, vt à circumſtantibus videantur; & Hoſtia limites patenæ non egrediatur. Dum ſummit Hoſtiam, inclinat ſe cubitis ſuper Altare poſitis. Nec antea faciet aliquam genuflexionem, aut inclinationem; nec poſtea digitis colliget fragmenta. Sumpta iam Sacrata Hoſtia, dum manus iunctas ante faciem tenet, ſummitatem mentus non tranſcendat. Facta genuflexione, & collectis è Corporali fragmentis, pollice manus dexteræ abſterget patenam ſuper calicem, nec tanget illum cum patena, aut illam voluet ſuper ipſum calicem. Nec poſtea faciet aliam inclinationem vitæ, genuflexionem, aut calcanei eleuationem. Dum à miniſtro purificationem accipit, calicem ſuper Altare extra corporale ex parte Epiſtolæ tenebit, quod idem faciet ad ſecundam purificationem, in qua vinum & aquam ſumet? Poſt hæc parabit calicem vti priùs, ac plicato corporali reponit in burſam. Tecto calice, ſiue cooperto,

to , vt in principio miſſæ.

XVII. Poſtquam Sacerdos dixerit [Ite Miſſa eſt) versùs populum, capite non inclinato ; aut(Benedicamus Domino]aut (Requieſcant in pace)versùs Altare ; dicet [Placeat tibi &c.] inclinato capite, iunctis manibus ſuper Altare, quod poſtea oſculabitur , etiam in miſſis Defunctorum . In danda benedictione , manu dextera eleuata,ſiniſtrã infra pectus tenebit . Aduertat Sacerdos , quòd non dantur tres benedictiones, niſi ab Epiſcopo ; quamuis Sacerdos miſſam cantaret , vel monialibus celebraret . Vnica tantum benedictio datur cum Sanctiſſimo Sacramento,ſiuè ſit facta proceſſio , aut in actu proceſſionis , aut cùm ad infirmos defertur, aut dum occaſione quadraginta horarum exponitur . In Euangelio Sancti Ioannis,aut in Euangelio,quod dicitur infine Miſſæ facis ſignum Crucis,vti fecit in priori Euangelio ; ſed cùm adeſt Sacramentum ſuper Altare non ſignatur Miſſale, aut Altare . Cum dicit:(Verbum caro factum eſt)genuflectit versùs cornu Euangelij non verſus Crucem:aut in medio Altaris.Dicto(In principio) aut alio Euangelio, quod in fine Miſſæ dicitur non oſculabitur tabellam,aut Miſſale.

XVIII. Celebrata Miſſa , neminem ſalutabit; niſi forſitan adeſſet Epiſcopus,aut alius Prela-

tus illi æqualis; sed imposito sibi bireto accipit calicem, sicut detulerat, & ad vltimum gradus Altaris profunda facit reuerentiam cooperto capite; Si autem celebrauerit in Altari Sanctissimi Sacramenti non cooperit caput, nisi post factam genuflexionem. Dum redit in Sacristiam: dicet Antiphonam (Triũ puerorum) cum cantico (Benedicite) ac psalmo (Laudate Dominum in Sanctis eius &c.) cum alijs orationibus, quæ in Missali habentur; & à nobis suis locis sunt adnotatę. Hæc ferè omnia in Idiomate Italico fuerunt data Typis Brixiæ apud Iacobum Turlinum M.DC.XVIII. De Superiorum licentia, sub regimine in Spiritualibus Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Marini Georgij, Brixiæ Episcopi meritissimi, ac Vigilãtissimi.

Imò ferę eadem celebrandi formula similiter Idiomate Italico fuit Romæ impressa, vt ipsemet vidi in quibusdã Sacristijs. Quæ formula nihil aliud est, nisi quoddam Rubricarum generalium abstractum; siuè compendium; in quo breuiter adnotantur ferè omnes errores, qui à Sacerdotibus non cautè celebrantibus committuntur: Et quilibet Sacerdos prò certò sciat, quod numquam perfecto modo celebrabit, siuè Rubricas obseruabit; nisi huiusmodi errores pro viribus euitare studuerit.

Non

Nonnulla ſparſim præſcripta frequentiora prudenter à pio, ac diſciplinato viro Bartholomeo Corſetto *Benacenſi, nuncupato collecta: cuius codex cum ſit in* Rhetiæ, *ac Germaniæ regionibus valde rarus; Ad maiorem D. O. M. gloriam, ac legentium vtilitatem ſtatui, Deo auxiliante, aliqua adnotare, reſtringere, ampliare, probare, vel pace prudentis viri, expugnare, vel reprobare.*

I. MIſſa parochialis ſine cantu eſt priuata, non conuentualis; quo poſito multa deffiniri poſſunt circa rubricas miſſalis. Gauant. par. 1. tit. 15. de hora celebrandi Miſsam.. Quo circa aduerte pie Lector, exinde non deduci Miſsam Regularium, quæ poſt tertiam, vel ſextam ſine cantu celebrari ſolet non eſse Conuentualem; nam ly. Conuentualis (vt opinor) non obtinet hoc nomen reſpectu cantus, ſed reſpectu conuentus, ſiuè diuerſorum Canonicorum, vel Re-

ligioſorum conuentus. Iuxta illud Diui Pauli. Conuenientibus vobis in vnum. Et in pſal.45. *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum*: Reges ſunt perfecti Sacerdotes, qui ſciunt ſuas paſſiones regere; Et Iſaias ait: ingredientur portas Ciuitatis huius, Reges, & Principes. Reges ſunt omnes pauperculi Religioſi, de quibus Seraphicus Sanctus Pater Franciſcus in ſua Regula cap. 6. ait; Hæc eſt celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ inſtituit vos Filios meos chariſſimos hæredes, ac reges regni Cæleſtis.

II. Cruces ſuper oblata fiunt (vt ſupra dictum eſt) hoc modo ✠ manu extenſa digitis erectis, ideſt, regula ſit ex Innocentio 3. lib. 5. cap. 1. vt formentur duæ lineæ, quæ non excedant menſuram palmi communis manus; prima linea ſeù ſignum fiat manu extenſa, & recta, ſecunda vero ſeù alterum ſignum manu tranſuerſa, vt Crucis tranſuerſum appareat. Non recta vt fit ad expellendas à Calice muſcas. Non debet fieri in circulo, neq; in varicatione digitorum: vt habetur in Theſauro Sacrorum Rituum. Corſetto Benacenſi, &c.

III. Benedictus qui venit &c. non cantatur à choro, niſi poſt eleuationem calicis, etiam in Miſſis defunctorum, quod obſeruatur in Capella Papali, Gauat. Supracit. n. 11.

Ce-

Cerem.Episc.l.2.c. 8. Existimo autem hoc esse propter solemnem musicam, quam procul dubio in his tàm prçclaris locis semper habere debent; & ne nimis in longum Missam trahant cantores prudenter relinquunt (Benedictus &c.) post depositionem calicis; in alijs verò pauperculis locis, vbi non est perfectorum Cantorum copia; sed cantant meliori modo, prout sciunt, & possunt. (Ad impossibile enim nemo tenetur) ac citius cantum perficiunt, laudabilius est cantare etiam ante consecrationem. (Benedictus &c.) & post consecrationem aliquid aliud addere, sicut moris est in Rhetia in Episcopatu Curiensi; nam post depositionem Calicis deuotissimè cantari solet. Ecce panis Angelorum, factus cibus Viatorum &c. vsque ad finem sequentiæ, vt habetur in festo Corporis Christi. Et sic omnis Spiritus laudet Dominum nostrum IESVM Christum, cui laus, & gloria sit per sæcula.

IV. Si celebrans concionari velit, hoc agat finito Euangelio, sedeatq; super scamno nudo in cornu Euangelij capite tecto, aut sine casula in pulpito: Initio concionis signans se signo Crucis. Gauant. p. 246. Rubr. Miss. noui. 6 &c. Quibus libenter subscribo, præcipuè ob rubr. Miss. reuerentiam. Solùm bone Lector aduerte. Rubricam hanc non

condemnare illos Parochos, Rectores, Curatos, siuè animarum Pastores, qui non habent saltem vnicum Capellanum sub se, qui possit aduenis aduenientibus, vel populis suis serò venientibus satisfacere, quo ad auditionem Missæ. Nam in huiusmodi locis, in quibus ob Sacerdotum penuriam vnicus tantum Parochus, Rector, aut Curatus habitat, vti moris est in Rhetia, & in certis locis cum magna animarum copia, & cum non omnes possunt sua peragere, ac eidem Sacrificio adstare; in ijs namque locis, siuè casibus, dico, quod melius foret si concio totum præcederet Sacrum; vt de facto obseruatur in quibusdam locis; Euangelio in pulpito perlecto, vbi moris est illud perlegere: Nam licèt sit malum concionem amittere, maius tamen malum est diebus festiuis Sacrum perdere; at de duobus malis minus est eligendum: ergò &c. Saluo meliori iudicio.

V. Dum fit absolutio post Missam solemnem Defunctorum, si eleuetur Sacramentũ in aliquo Altari, neque celebrans, neque ministri debent genuflectere, ne sacra interrumpatur actio; & rectiùs fieret, si in ea eleuatione pulsatio campanulę à Ministro omitteretur. Gaua. p. 2. tit. 13. Quod nobis valdè placet; magis tamen placeret ad maiorem erga Sacramentum deuotionem, si prudens editiuus,

tiuus,ſeu ſacriſta,ita ſacra diſponeret, vt omnia priuata ſacra ante miſſam ſolemnem abſoluta eſſent, vt cum maiori vocum copia Sacerdotes vnanimiter conuenirent ad cantandum(libera me Domine &c.) multiplicatis enim interceſſoribus largiatur. Et dato, quod ob aliquam neceſſitatem aliqui celebrare debeant, dum Miſſa cantatur, debet editiuus curare, vt celebrent ad remotiora Altaria,ne ipſi Cantores perturbent, nec ab ipſis perturbari poſſint, ne Dominus Deus in ira ſua conturbet eos.

VI. Omittitur ſignum Crucis,quod quidā prӕter Rubricam ſibi faciunt manu, & amictu ſimul à fronte ad pectus; vel ſignant ſe antequam amictum accipiant. Gaua.p.2.tit.1. Georg.Polac.c.4.p.1.Hic ſolùm addo, vt venerabiles Sacerdotes curent nitidiſſima conſcientia habere lumen Dei ſignatum ſuper ſe; vt in lumine eius lumen videant æternum.

VII. Manipulum debet ligari infra cubitum,non ſupra,nec longe à manu: ſtola; itidem debet collo imponi, vt torques,& non longè ab illo,vt quidam faciunt; longè enim à collo proprium eſt Epiſcopi: Gaua. & Polac.ibidem: Quod ad manipulum ſpectat, nullo modo concedendum eſt, vt propè manum alligetur;ſed propè cubitum, ne Sacer-

dos

dos Sacratissimam Hostiam manipulo tangat, quod non rarò contingit in depositione Calicis, & est res valdè periculosa: & qui amat periculum peribit in illo. Sic ergò deferat prudenter manipulum doloris, donec in Cęlo recipiat mercedem laboris.

De modo aptandi stolam, laudo quidem, quod sit propè collum ad distinctionem Episcoporum, solùm admoneo ne collum tangat, aut caput, & præcipuè quando concionari debet propter sudorem, non rarò è corpore ob calorem, vel feruorem concionantis egredientem: sic accidere solet in processionibus; laudabile foret si omnes imitarentur vsum Canonicorum Regulariũ Sancti Augustini, qui in medio stolæ in interiori parte habent paruulam ligulam sericam, quę stolam defendit, quod non potest collum, aut caput tangere; stola enim facile maculatur: nullum enim paramentorum genus ita deperditur sicut stola. Debent ergò prudentes Sacerdotes maiori, qua possunt diligentia Christi supellectilem ita retinere, ac saluare, ac si propria crumena deberent omnia paramenta restaurare; ac præcipuè custodire stolas, de quibus modo sermo est; & ita in omnibus se agere, vt tandem stolam gloriæ omnes indui mereamur, quã miserrimè in præuaricatione primi parentis perdidimus.

In

VIII. In Altari priuilegiato pro certis diebus tantùm; ſi in eos incidat feſtum duplex de præcepto non poteſt dici Miſſa de Requiem Congr. Rit. 24. Aprilis 1627. Hic nihil aliud poſſum addere in hoc loco à Sacra Congregat. declarato, quàm pios Sacerdotes hortari, qui cupiunt animabus in Purgatorio exiſtentibus prębere auxilium, vt curent ſemper ſecum deferre Amuletum: Italice, la medaglia, ſiuè aliquid aliud, quod indulgentiam habeat: quod aliquo modo eſt ſecum Altare priuilegiatum portatile deferre, quo poterunt ſingulis diebus (ſi indulgentiæ ſunt tales) aliquam animam purgantem è pænis atrociſſimis eripere, vel ſuffragari. Et ad maiorem Dei, ac Seraphici Patris gloriam; piorumque Sacerdotum conſolationem, non grauabor hoc in loco inſerrere ſic raptim largiſſimas indulgentias conceſſas vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus cingulum Sancti Patris Franciſci deferentibus. Quam indulgentiarum Bullam idiomate Italico impreſſam maiori, qua potui claritate latinitati donaui, ne tàm immenſus theſaurus vltro ſub modio iaceat; ſed ad inſtar ſolis radijs per totum orbem terrarum illuceſcat.

IESVS

IESVS MARIA FRANCISCVS.

PApa Leo X. Omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, qui portare volent S.Francisci cingulum, semel ab Aliquo Religionis Prælato illis concessum, ad hunc finẽ, quod nempè possint omnibus indulgentijs ipsis Religiosis concessis frui: Quæ indulgentiæ, gratiæ, priuilegia confirmata fuere ab omnibus Summis Pontificibus, qui fuerunt ab ipso Papa Leone X. vsque ad Pium V.

Primò; quæ vis persona, quæ secum prædictum S.Francisci cingulum deferet: toties, quoties corollam Domini, Beatæ Virginis: vel septem Psalmos pænitentiales, aut Defunctorum officium persoluerit: lucrabitur indulgentiam plenariam.

Item dicendo, vnum Pater noster, ac tribus vicibus nomen IESVS inuocando, acquiret ter mille dies indulgentiæ; & hoc semel in die tantùm.

Item qui auscultauerit Missam Cõceptionis, vel Beatæ Virginis, obtinebit indulgentiam plenariam.

Item quoties confitetur, lucratur indulgẽtiam plenariam.

Item: Sacerdos, qui celebrat Missam Concep-

ceptionis, vel Beatæ Virginis, aut quinque plagarum Christi, secum habens dictum cingulum toties lucrabitur indulgentiam plenariam.

Item quiuis confessus, ac contritus visitauerit aliquam Ecclesiam; vbi morantur fratres Sancti Patris Francisci, prima die Augusti, quæ incipit à primis vesperis, vsque ad solis occasum sequētis diei, recitando quinq; Pater, ac tot Aue Maria, vna cum Gloria Patri &c. & vnum Pater, & Aue cum Gloria &c. pro sua Sanctitate, qui indulgentiam concessit, vel de præsenti concedit; lucrabitur remissionem omnium peccatorum à die Natalis sui, vsq; ad illam horam, ac si esset Sacri Baptismi fonte lauatus eadem hora.

Item dicendo quinquies Pater, ac tot Aue in memoriam quinque plagarum Domini nostri, & vnum Pater noster, & vnum Aue Maria pro Summo Pontifice, quibus finitis persoluerit totidem Gloriam, &c. nempe sex; lucrabitur indulgentias, ac stationes concessas omnibus Ecclesijs intus, & foris Vrbis Romæ totius anni, ac in Hierusalem, & Sancti Iacobi de Galetia, ac si personaliter prædicta loca, siue Ecclesias visitasset. Et hæ indulgentię, ac gratiæ lucrari possunt quauis hora, die, ac nocte, & in quauis Ecclesia, Oratorio, sacello, ac domo toties, quoties voluerit,

ac

ac illi placuerit, in die, nocte, ac hora.

Item prædictus Pontifex concedit omnes has indulgentias, vel gratias applicari posse pro animabus in Purgatorio existentibus. Et notandum est, quod hoc nomen Indulgentiæ vult dicere, siue Significare remissionem omnium peccatorum: ita vt si quis debuisset pati mille, aut bis mille annis in Purgatorio, ob virtutem huius indulgentiæ sunt illis omnia remissa, ac condonata. Et omnes prędictæ indulgentiæ fuerunt à Papa Gregorio XIII. confirmatæ vti in bulla suæ Sanctitatis continetur.

Papa Paulus V. Pontificatus sui anno V. prædictas confirmauit, vt apparet in suo Breue Apostolico Romæ typis dato: postea Florentiæ; ac tandem Brixię per Antonium Ricciardum 1652. de superiorum licentia.

Insuper circa Indulgentias; hic ponam in gratiam Reuerendorum Sacerdotum, quid Venetijs cuidam Sacerdoti acciderit, qui statuerat ire ad Sanctam MARIAM Angelorum Assisij, & ibi illam celebrem indulgentiam (Italicè il perdon d'Assisi) pro satisfactione, aç consolatione animę suę aquirere; at accedente discędendi tempore; morbo correptus non potuit suam adimplere voluntatem, vocauitq; quendam amicum, ac anxiè rogauit; vt nomine suo ad

præ-

prædictum locum se trāsferret, ac pro salute animæ suæ indulgentiam aquireret; necessariumque illi Viaticum tribuit. At amicus (vt talium amicorum moris est) defuncto iam deuoto Sacerdote de huiusmodi peregrinatione, vsque ad sequentem annum differenda cogitabat; hæc autem eo cogitante apparuit illi sacerdos, ac terribili aspectu, ac voce comminatus est ei dicens: surge, & vade cum ijs, qui se ad iter præparant; at ille timore correptus fecit, quod pro amore, aut obligatione facere nolebat; & vix ingressus est in templum, cum apparuit illi defunctus Sacerdos, non ampliùs iratus, sed sole irradiatus gratias ei egit, ac in cęlum migrauit; vt legitur in vita S. Francisci. Maxima ergo est indulgentiarum vis, aut virtus, & est abominabile prò viribus non aquirere illas: & profectò deploranda miseria est omnium illorum, qui tàm facilè posśunt ingentes meritorum thesauros lucrari; & nihil penitùs curant, ac si nullius esśent momenti. Vnde mirum non est, si Summi Pontifices perspecta tali Catolicorum negligentia, ne dicam despectu in concedendis indulgentijs manū restringunt, vel concesśas suspendunt; quia non sunt margaritæ ponendæ ante porcos, dum illas pedibus suis conculcant. Et hoc sit cum pace, & reuerentia prudentium Sacer-

cerdotum, in quibus vna cum Patre Sancto Francisco nolo peccatum considerare, quia in ipsis Filium Dei respicio, &c. Pro Coronide, bone Lector, esto memor mei, dum fueris ad Altare Dei, vt sim cum Psalmista particeps omnium timentium Deum, & custodientium mandata eius. Amen.

IX. In festo Purificationis B.M.V. ne bedicantur illæ Candelæ, quas quisq; tunc ante distributionem gestat in manu, neq; distribuantur, nisi præsentibus in Ecclesia, & ad ægrotos tantùm mittantur Conc. Pro. Med. 3.& cong. Episc. 15.81. Quid hoc significare velit vix intelligo. Solùm aduerte bone Lector maximam esse differentiam inter scriptores, qui suam tantùm perlustrarunt regionem,& inter illos,qui ad instar Patriarchæ Abraham egressi de domo sua, ac de cognatione sua ascendunt ad illas terras, quas Dominus Deus per meritum, ac præceptum Sanctæ obedientiæ demonstrat ipsis. Primi enim pro vt in sua patria viderunt, ita scripserunt: alij verò, qui diuersa in diuersis locis obseruarunt, diuersa etiam adnotarunt: & ideò licet veritas odium pariat, & omnis comparatio sit odiosa; nihilominùs dum fueris Romæ Romano viuito more: pace aliarum nationum; mihi magis arridet Germa-

no-

norum, ac Grisonum, siue Rhętorum vsus, qui in prædicto festo Purificationis omnes pro viribus suas deferunt candelas, ac candelulas ad Altare in suis capsulis, vel canistrulis bene adequatis, quas benedictas seruant per totum annum ad omnem euentum, præcipuè infirmantium, in extremis laborantium, parturientium, siue puerperarum post partũ ad templum venientium; & hoc fit absq; Parochi molestia, & eius expensis; illumq; ab hoc onere subleuant; iuxta Apostolum Paulum: dicentem; *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Et Summi Pontifices in rituali Romano hortantur nationes, vt suas teneant laudabiles consuetudines, &c Salua semper &c.

X. Non debet Sacerdos indutus vestibus Sacerdotalibus pro celebratione Missæ confiteri, nam dedecet reuerentiam debitam Sacerdotis celebraturi. Gaua.p.2.tit.1. At parcat prudentissimus Gau. in hac sua instructione (nulla enim regula sine exceptione) nam ex supradicta adnotatione, siue assertione; excipienda sunt illa paupercula, siuè miserrima loca, quæ ad inuicem vnam, vel alteram horam distant, in quibus vnicus tantùm adest Parochus, Rector, vel Curatus, & sunt itinera difficilima ratione intensi frigoris, glaciei &c. si inquam in huiusmodi locis, aliquis ex

ſupra dictis confeſſarijs copiam non haberet, & abſq; damno animarum, & nota ſui ipſius Sacrum omittere nequiret; & hoc interim paratus ante, vel poſt Euangelium ad populum ſermonem haberet, ac caſu ſuperueniret confeſſarius, ſic ſacri indutus veſtibus confiteri teneretur, nullam enim excuſationem habet, dum confeſſarius adeſt, & ipſe ſit aliquo lethali crimine opreſſus, ſi tamen abſq; ſcandalo poteſt, puta ſi ex more ſacrarium, ſiue Sacreſtiam reuertatur, ad planetam induendam, vel aliquid aliud, quod decet peragendum.

Si dicitur nobis, vt relinquamus munus noſtrum ad Altare, quod eſt Sacrificium, & prius reconciliari proximo, ſiue fratri noſtro, cur non licebit Parocho Rectori, ſiue Curato accedente Confeſſario relinquere munus ſuum ad Altare, & prius reconciliari ipſi Deo ſummo bono? certè nullam offendo diſcrepantiam, aut celebrantis ignominiam: nam in multis offendimus omnes. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Sine tamen ſcandalo hoc faciendum.

XI. Non recitare Diuinum officium, ideſt matutinum cum laudibus ante celebrationē Miſſę cum nulla ſit cauſa; ſed tantùm propter meram negligentiam, eſſe peccatum

mor-

mortale; docet supra citatus Gau. innixus maiori parti Doctorum, in quibus sunt duo Sancti, ac duo Pontifices: ibidem.

Quid de meo velim hic inserere, aut insurgere contra duos Pontifices, duos Sanctos, ac ingentem præclarissimorum Doctorum cateruam (quorũ non sum dignus corigiam calceamentorum soluere) vix audeo quicquã dicere, incipere, mentemq; meam aperire, in re maximè tanti momenti, controuersia non adeò spernenda iamdiu in nauicula Diui Petri à contrarijs ventis, ac maris fluctibus agitata.

Attamen, vt iugum Christi suauius, ac de die in diem leuius reddatur, benignum Lectorem rogo, vt me supportet, ac patienter audiat quid insipientia mea dicere audeat. In primis adducam contra prædictam Gau. assertionem duos præstantissimos Doctores, qui hac tempestate plurimorum Parochorũ mentes sua luce illustrarunt. Quorum primus est Bonacina, qui in suo tractu de horis Canonicis disp. prima; punc. IV. ita proponit. Quæres vtrum peccet mortaliter, qui Missam celebrat, nondum recitato matutino? Et respondit negatiue adducens post se, vel pro se magnam Doctorum copiam; vt poteris loco citato apud ipsum videre. Ratio illius est, tùm quia recitans primam ante matutinum non

peccat mortaliter. Ergò neq; celebrans Missam ante matutinum, cum matutinum nullã habeat connexionem, & ordinem cùm Missa; sed maiorem connexionem habet matutinum cum prima, quàm matutinum cum Missa: tùm quia recitans vesperas ante Missam non peccat mortaliter; quamuis cõsuetudine receptum sit, vt Missa dicatur ante vesperas; ergò neque peccat mortaliter celebrans ante matutinum. Adde: (inquit ille) cum Maciguo n.38. Lessio, Arragonio, & alijs nullum peccatum, neque veniale committi, si hoc fiat ex aliqua iusta causa: Nam quod ex iusta causa fit, rationabiliter, ac prudenter fieri dicitur.

Neque obstat prima consuetudo, quia non adeò strictè recepta est, vt patet à similitudine celebrandi Missam ante vesperas. Secundò non obstat in Rubricis Missalium appellari defectum, dum quis celebrat, non præmisso saltem matutino; quod etiam habetur in actis Ecclesiæ Mediolan. p.4. Respondetur enim Rubricas non esse cum tanta obligatione receptas: sed solùm admonere, quid faciendum sit iuxta doctrinam antiquorum Cannonistarum; vide (sequitur ipse) quæ dixi de Sacramentis loco citato: vbi hanc eandem difficultatem tradidi in terminis, & explicaui: eamq; fusius prosequitur Suarez lo-

co

co cit. Tertiò notandum eſt, quod non obſtat aliquando peti priuilegium ad celebrandum, nondum recitato matutino; nam huiuſmodi priuilegium prodeſt tum ad euitandum peccatum veniale; tum ad euitandos ſcrupulos. Nauarra de Orat. cap. 19. num. 84. Macignus num. 3. Leſſius. Sanchez cum alijs pluribus. Hæc ille.

Huic grauiſſimo Auctori accedit infatica-bilis, & acutiſſimus Diana, qui præmiſsa eadem propoſitione in tractatu XIV. de celebratione Miſsæ Reſol. XXXIV. præmiſſis Doctoribus, qui tenent eſse peccatum; ſic reſpondet; at contrariam ſententiam probabiliorem eſse iudico, & in praxi ſine vllo ſcrupulo eſſe tenendam, & amplectendam, & præter 20. Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa de poteſtate Epiſ. p. allegata 24. n. 15. Docet hanc Sententiam Laymam. lib. 4. tract. 5. Ratio eſt: vt ait Syluius num. 3. p. 3. 83. art. 2. quia ex ſui inſtitutione preces matutinales, & Sacrificium Miſsæ nullam habent connexionem, neq; vllum ordinem: nam preces horariȩ adinuentæ ſunt, vt eis exhiberetur cultus Diuinus Deo ſupplendo pro populo, myſterium verò Euchariſtiȩ à Chriſto inſtitutum eſt, vt recoleretur memoria Paſſionis eius; in quo nulla connexio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur. Vide reſpon-

ſum ad argumentum in contrarium apud ipſum Dianam loco citato.

His adde ſequentes rationes, quas in loco præſenti adnotabo, prout Deus dabit; quas tamen apud alios Auctores non inueni. Prima ſi Sacerdotes peccarent mortaliter celebrando, matutino infecto, ſequeretur etiam peccare Clericos Subdiaconos nempe, ac Diaconos, ac etiam alios Clericos, qui vi promiſsæ Regulæ, vel profeſſionis ad Diuinum Officium perſoluendum ſub mortali tenentur, ſicut etiam illos, qui fruuntur aliqua penſione, beneficio ſimplici &c. ſi inquam audirent ſacrum matutino, vt ſupra, infecto diebus pręcipuè feſtiuis, in quibus de præcepto tenentur ſacro aſſiſtere ſicuti alij; at hoc dici nequit; ergò &c. Probatur, quia nullus ſanæ mentis vſque modo (quantum ſcio) auſus fuit condemnare prædictos Clericos de peccato mortali Miſsam audientes matutinis horis, nondum abſolutis; maior patet; quia obligatio perſoluendi horas canonicas non oritur ex ordine Sacerdotali: ſed ex Subdiaconatu, vel profeſſione Regulæ Minorum, aut alterius Regulæ ad hoc obligantis, quia tam iſti, quam Sacerdotes eandem habent obligationem; probatur: quia ſubdiaconus, vel Diaconus, aut etiam noſter Clericus profeſſus, ſi nunquam ad Sacerdotium perueniret

(vt

(vt aliquando contingit) nihilominùs ab onere perſoluendi Diuinum officium non eximitur : at non peccat mortaliter, vt diximus perſoluendo matutinum poſt Sacrum auditum : ergò nec Sacerdotes faciendo ſacrum ante matutinum.

Dices non eſſe paritatem inter Sacerdotes, & Clericos: nam illa Miſſalis Rubrica loquitur de Sacerdotibus, & non de Clericis, eò quod perſolutio matutini eſt quodammodò diſpoſitio, Miſſæq; præparatio ad quam Clerici non tenentur. Reſpondeò negando ſequelam : nam eſto, quod matutino abſoluto ſit optima deuotio, & ad ſacrum faciendum remota præparatio ; nego tamen, quòd ſit proxima, ac directa Miſſæ pręparatio, obligans ad peccatum mortale : nam Eccleſia aliam ponit pręparationem, quam ſupra explicauimus ; ergò nihil contra nos.

Secunda: ſi trangreſſio illius Rubricæ cōdemnaret Sacerdotes de peccato mortali, ſequeretur, omnes alias transgreſſiones ad id condemnare, hoc non eſt dicendum, ergo &c. maior probatur : quia Rubricę ſunt eiuſdem roboris, & qui in vna delinquit cum grauamine peccati mortalis, reus omnium aliarum factus eſſet cum eodem grauamine ; minor patet, quia vix daretur Sacerdos, qui abſq; peccato mortali celebraret, quotidie

enim labitur humana fragilitas præcipuè in obſeruatione Rubricarum . Breuitatis gratia multa alia relinquo;Hæc autem dicta ſunt non animo relaxandi Rubricas;(multò minùs illas deſpiciendi,quod eſſet graue peccatum) ſed animo fragilibus compatiendi;ſi aliquando non poſſunt matutinum ante ſacrum perſoluere ; Sciant nihilominus Sacerdotes, quòd ad bonos ſeruos, ac perfectos Chriſti miniſtros non ſolum ſpectat obedire in ijs, quæ ſunt de præcepto ; ſed etiam de conſilio; & non ſolùm pro Dei amore facere ea , aut relinquere,quæ ſunt nobis prçcepta,aut prohibita ſub pæna peccati mortalis , ſed etiam venialis . Recordentur etiam frequenter de illo Religioſo , cui Angelus Domini miniſtrabat; qui ſi nimis maturè Diuinum perſoluebat officium , fructus acerbos, aut immaturos illi deſerebat; ſi nimis tardè fracidos; ſi autem competenti,ac ſtatuta hora, perfectos ac bonos ; & tandem melius eſt præuenire, quàm præueniri.

XII. Non ſunt imitandi, qui duplicem adhibent pallam, alteram pro calice , alteram pro Hoſtia ſine Pontificis auctoritate ; eſſet enim additio ritus,quę à Pio V.eſt prohibita; & corporale debet includi in Burſa , ne cadat in terram,alioquin ſuperflua erit. Gau.p. 2.tit.1.

Quod

XIII. Quot attinet ad plicaturam corporalis, ita plicandum est, vt nec initium, nec finis appareat, cum significet sudarium Capitis Christi: qui vt Deus nec principium, nec finem habet: ibidem. Hoc tamen aduertat prudens Sacerdos, quòd quando curabit fieri corporalia, videat, vt ita sint magna, ac benè disposita, vt qui debet illa præparare, habeat commoditatem faciendi prędictas plicationes, & instruere eos, qui hæc ignorant.

XIV. Ad vesperas non vtitur stola Hebdomadarius, etiam si non vtatur pluuiali, non enim illa adhibetur loco pluuialis; quòd si adhibeatur fauet Andre. Const. l. 2. Sec. supra 8. Neque benedicit populum; quia benedictio in vesperis est propria solius Episcopi. Gau. de horis Canonicis. Sec. 10. c. 3. n. 8. & n. 23. Georg. Polac. p. 2. c. 8. & n. 13. in suis amphorismis pag. 412. Cerem. Epis. lib. 2. cap. 3. Quoad stolam mihi magis placet opinio And. cit. nam esto quòd non seruiat vice pluuialis; seruit tamen ad maius ornamentũ Parochi, veluti torques ad collum; vt illo signo à Sacellano distinguatur, & ab alijs Parochis, ac Aduenis in solemnitatibus illius Ecclesiæ accedentibus; sicut moris est in Rhetia, vbi sunt pauci Sacerdotes; & vicini accurrunt in auxilium. Quò ad benedictionem

iam eſt in vſu in diuerſis locis, vt detur populo, ſicut aqua benedicta aſpergitur non ſolùm poſt ſacrum; ſed etiam poſt veſperas: Nec Epiſcopi debent egrè ferre; maximè in locis pauperculis, montuoſis in quibus vix vident faciem Epiſcopi; vti legitur in vita Sanctiſſimi, Eminentiſſimi, ac Vigilantiſſimi Diui Caroli: qui ob ſalutis animarum zelum diuerſa loca viſitauit, quæ nunquam viſitata fuere ob viarum difficultatem: in huiuſmodi inquam locis, & vbi iam eſt vſu receptum laudabile exiſtimarem dare benedictionem abſq; vllo Epiſcoporum detrimento: Benedicite ergo(inquit Apoſtolus) & nolite maledicere: Benedicite benedicentibus vobis. *Benedictio Patris confirmat domum; maledictio matris eradicat fundamenta.*

XV. In fine Miſſæ etiam ſi non legatur Euangelium Sancti Ioannis, ſed aliud, reſpondetur nihilominùs à Miniſtro Deo gratias; & non laus tibi Chriſte (vt ſupra diximus) & hoc ad diſtinctionem primi Euangelij, quod ſignificat prædicationem Chriſti; hoc autem Apoſtolorum Gau. p.2.tit.15.cap.12. & Rubri. miſ. Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt; ad noſtram ſcilicet inſtructionem &c.

XVI. Ad Sanctus ter campanulam pulſat Clericus, tùm in laudem Dei, & Sanctorum, tùm

tùm ad excitandos animos astantium ad proxima mysteria. Gau.2.tit.7.maiori tamen cũ concinnatione foret, si clerici pulsarent (sed leuiter) nouem vicibus: tribus scilicet quando Sacerdos post hostiæ consecrationem genuflectit; tribus quando eleuat, ac alijs tribus quando reponit; & sic etiam ad Calicis consecrationem; Aduertat tamen clericus, ne vllum faciat sonitum (iuxta Seraphicum Doctorem) ante consecrationem; ne simplices populi adorent Hostiam nondum cõsecratam.

XVII. Secretæ orationes dicuntur à Sacerdote in medio Altaris versus librum; ideſt Sacerdote conuerso ad librum, non recedendo à medio: hinc patet aptandum esse librum propè corporale, vt commodius legatur, non autem relinquendo eũ in eo loco, in quo lectum fuit Euangelium; licèt de hac re fauet Rubrica Gau. ibidem Mihi videtur hìc opus esse distinctione inter Sacerdotes Iuuenes, bonum prospectum habentes, & inter semi cęcos, atq; ocularibus vtentes: Illi enim debent relinquere librum, vbi lectum est Euangelium; Isti verò adaptare librum propè corporale: omnes tamen Missale ita ad se vertere, ne toruiter illud aspicere teneantur: Primis fauet Rubrica; alijs verò prudentia. Iuxta illud: Estote pruden-

tes,

tes, ſicut Serpentes; &c.

XVIII. Cùm extenduntur manus ſuper oblata ad orationem; (Hanc igitur oblationem &c.)pollicem dexterum adhuc ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ponet: vt notauit Alocer. in ſuo cerem. non infra, ſed ſupra manus. Gau.p.2.tit. 8. Quibus ego addo Dianam de celebratione Miſſarum; & quidem laudabiliter, nam alio modo videntur potiùs manus attractę imperfectæ, non perfectæ. Extollite manus veſtras in ſancta &c.

XIX. Subdiaconus ferens librum deoſculandum celebranti, alijſq; ſecundum conſuetudinem locorum, & dans etiam pacem nemini inclinat, niſi poſtquam librum porrexerit, pacemuè dederit, ob dignitatem Euangelij pacisq; præſtantiam: qui accipit inclinat caput danti ante, & poſtquam acceperit. Cerem. Epiſco.lib.1.cap.24. In hac re multæ committuntur irreuerentiæ, ſiuè inurbanitatis actus, tùm ex parte dantis, quando illam dat ſine dalmatica, aut ſaltem ſuperpecileo apud illos, qui dalmaticas non habent, & ſolent dare pacem, tùm ex parte recipientis; qui multoties nullam facit reuerentiam neque ante, neque poſt; quia non recordantur illius ſententiæ: quæ dicit; inuicem præuenientes, inuicem honorantes: Cui honorem, honorem &c.

Laicis

XX. Laicis datur pax singulis per instrumentum; Clericis verò per osculum: Clericis primò cuiusuis ordinis, qui postea nulla præmissa inuitatione, quæ in incensatione tantùm fit, dat pacem alteri subsequenti, & ille alteri, & sic deinceps vsque ad finem eiusdē ordinis ibidem. Et non solùm pro cæremonia debent sibi ad inuicem pacem dare, sed iniurias (si adessent, quod absit) ex corde remittere; vt mereantur fieri filij pacis æterni amatoris; qui dixit pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis, &c.

XXI. Vsus colligendi eleæmosinas, siue oblationes placet, & habetur in ordine Romano. Gau.p.2.tit,7. Hoc tamen mihi valdè displicet; præcipuè quando fit cum exactione, ac si esset de iure Diuino; nam pauperes in pauperculis regionibus non rarò erubescunt, & confunduntur eò quòd non habeant quid offerre debeant, & potiùs relinquunt Sacramentorum frequentationem, quam pati talem confusionem; & scio profectò, aliquos fecisse excusationem se non audere accedere, eò quod nullam habebant largitionem.

Quidquid sit de ordine Romano; nihil aliud esse puto, quam gratiam, siuè priuilegium in fauorem Sacerdotum concessum ad

su-

ſuſtentationem ipſorum,quando erant valdè pauperes; & quando poterat fieri abſque detrimento animarum : at tàm rigidè illas exigere eſſet in damnum(vti dixi,ergò &c. gratis ergò accepiſtis,gratis date; cauete ab omni auaritia : Beatiùs eſt dare,quam accipere. Et priuilegio poteſt quis vti, & non vti : & probabile eſt,quod ſit iam reuocatum .

XXII. Gloria Patri &c.ad Lauabo cum dicitur , laudabiliùs dicitur in reditu ad mediū Altaris , caput Cruci inclinando : ibidem ; quod eſt valdè laudabile: quod vt meliùs etiā fiat,non debent erubeſcere prudentes Sacerdotes , gradus addiſcere vtrum ne debeant mouere dextrum,vel ſiniſtrum pedem,quod facilè addiſcent,præcipuè quando celebrant in eodem Altari; ac ſic computatis,vel diſtinctis paſſibus, opportunè peruenient ad medium Altaris . Nam ſicut homines carnales, vt poſſint mundo,ac Diabolo placere, non timent inſumere tempus,ac pecunias,vt poſſint addiſcere quinque paſſus,aut alias vanitates;quantò magis deberent addiſcere miniſtri Chriſti,ob amorem illius , qui numerat greſſus noſtros,quibus numeratis, ac peccatis in eius ſanguine ablutis mereamur peruenire ad gaudium veræ felicitatis.

XXIII. Ad Agnus Dei percutiunt ſibi miniſtri pectus cum celebrante,non tamen ſiniſtra

ſtra poſita ſuper Altare cum eo, ſed infra pectus, eidem pectori admota. Gau. p. 2. tit. 10.

XXIV. Partes illius Hoſtiæ, quæ reſeruantur poſt orationem quadraginta horarum, & poſt proceſſionem cuiuſq; tertiæ Dominicæ quæ fit cum Sacramento, non ſunt dandæ Laicis, ſed ſumendę ſunt ab ipſo celebrante in renouatione Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fieri debet octauo quoque die iuxta decretum Diui Caroli in Concil. Prouin. Mediol. 4. & Synodo Diæceſana vndecima Gau. ſuprac. Quidquid ſit de illis particulis, ſiuè partibus Hoſtię conſecratæ; an ſaltem poſſint dari infirmis, alijs iudicandũ relinquo; quò verò ad Decretum renouationis Sanctiſſimi Sacramenti, adeò mihi placet, quòd vellem, vt hoc decretum literis aureis deſcriberetur in portis omnium ſacriſtiarum. Et ab Epiſcopis grauiſſimæ tranſgreſſoribus iniungerentur pænę. Ex huiuſmodi enim Decreti tranſgreſſione grauiſſimi oriuntur errores, quos magnopere timere debemus ob illius amorem, in cuius aſpectu tremunt ipſi Angeli: Tremunt videntes Angeli.

XXV. Qui communicantur debent componere manus in Crucis formam. Gau. ibidẽ; cui mihi placet addere, quòd Paſtores animarum debent ignaram plebem inſtruere, non

non solùm quò ad compositionem manuũ, verum etiam ad abluendum os, illudq; aperiendum dum communicantur, & ad relinquendum retrò pileum, gladium, chirotecas, canes insuper retrahere, vel abscindere superiorem barbam; Italicè i mostacchij, expellere mulieres denudato pectore accedentes; & contra facientes sint cuiussuis gradus, status, ac conditionis paternè priùs admonere: at si opus fuerit absq; rubore, aut timore increpare: ne Dominus Deus noster dilectissimus IESVS Christus erubescat confiteri nos esse ex suis ouibus coram Patri suo. Et si hominibus placerem (cum Dei offensione) Christi seruus non essem, at sine causa nullam molestiam proximo inferre: iuxta illud (nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperaretur mynisterium nostrum.

XXVI. Pro purificatione Pyxidis, siuè Ciborij intra Missam, hæc seruanda sunt. Illa purificabitur ante Calicis purificationem: collectis nimirum in eius fundo fragmentis omnibus diligentissimè cum indice manus dexteræ; & cum eodem indice sumi possunt, eodem linguæ admoto, vel ad labium ciborij fragmentis deductis, & ore eidem admoto, ita vt nullum remaneat fragmentum: deinde infundi paululum vini, quo circumacto intra ciborium indice tergendo; pars to-

ta inferius abstergatur, haustoq; exsiccabitur ciborium interior vnde quaq; purificatorio: neque ciborium vacuum tegi velo, sed pāno debebit; denique fient reliqua de more pro Calicis purificatione, Gau. p. 2. tit. 10.

Circa quam instructionem obserua bone Lector, iam esse vsu receptum ciborium non semper purificari vino; sed tantùm indice fragmenta colligere, sumere, vel in Calicē ponere, ratio nostra est, quia etiam patena tangit Sacratissimam Hostiam, cum ipsa colliguntur fragmenta super corporale dispersa, & tamen vino non purificatur, sicut nec corporale: ergò &c. sed dato, quòd purificatione vini indigeat, aut maioris securitatis gratia fiat; non tamen laudo, quod è ciborio sumatur; sed in Calicem infundatur; & ex ipso Calice sumatur. Ratio hæc est, quia difficilè sumi potest purificatio ex ciborio; nam quædam habent duo vascula simul; intus ad saluandas Sacras particulas; & foris ornamēti gratia: & non semper sunt adeò cōtigua, siuè connexa, quòd non sint aliquæ rimulę, per quas facilè purificatio ingredietur, ac difficilè egredietur vti experimur, quando sacra vasa lauantur: & dato, quòd sint integra, nihilominùs omnia vt plurimum habent circulum circa labium ad retinendum operculum, per quem facilè purificatio laberetur, si è Cibo-

rio sumeretur, salua semper &c.

XXVII. Vinum infundendum in Calicem pro purificatione debet esse saltem eiusdem quantitatis, cuius fuerint primæ species sanguinis, alioquin Sacerdos illum circumagat, vt absumantur species omnes, si quę adessent, neque extra Altare dimittat Calicem, neq; digitis labia Calicis, seu oris sui detergat, neq; digitos lambat, vt docuit Pius V. in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem die 8. Ianuarij 1571. Qui præterea addidit, quòd sumi debeat ablutio per eandem partem Calicis, per quam Sanguis Christi hausus est. Calicem verò bis tantùm ori admouendum esset; nam verè stomachum astantibus mouet pluries, quàm ter, Sanguinem; & bis de calice purificationē sumere, aut sugere: Gau. ibidē. Ex doctrina tàm clara Clarissimi Pontificis, facilè perspicitur, quanta sit adhibenda diligentia in tanto ministerio; in quo multi profectò aberrant; primò quia sine aduertentia infundunt vinum in Calicem pro consecratione, nihil cogitando an residuam erit sufficiens pro duabus purificationibus; & si non sufficit: vtrum tam citò adinuenerit vinum ad sufficientiam. Secundò aliqui vtuntur vino residuo diei præteritæ, licèt remanserit in vrceolis sine aliquo operculo, omnibus miserijs expositis: & quod sine operculo

eſt,prò immundo habetur. Tertiò quando accipiunt primam purificationem, ſe ad diſcretionem miniſtri remittunt; ſi multum dat,multum accipiunt,ſi parum, etiam parū; non ſic faciendum eſt; ſed debet Sacerdos aſpicere in Calicem,& ſi non videt ſufficientem materiam purificandi Calicem, iterum illum Miniſtro porrigere; Quartò non debet Sacerdos labijs ſonitum facere, aut grauiter halitum emittere; ita vt ab aſtantibus audiatur. Quintò quando ante purificationem debet communicare, & Calicem aliquantulum retrahere, debet priùs benè obſeruare aliquod ſignum circa pedem Calicis, per quā nempè partem ſanguinem ſumpſerit, vt per eandem(vti ait Pontifex) purificationes ſumat; & ſi calix nullum habet ſignum curare fieri. Purificatorium enim eſt ordinatum non ad extergendum Sanguinem, ſed ad madefactionem vltimæ purificationis. Quod ſi purificatorium ſanguinem tetigerit, non debet lauari,ſed comburi,&c.

XxVIII. Quinimò hæc purificatio in medio Altaris facienda eſt cum vino prima vice, & altera cum vino, & aqua vt explicat ipſa Rubrica Miſſalis: neque dum eam accipit extra Altare porrigendus eſt calix. Gau. ibidem.

XXIX. Calix poſt communionem ita

aptandus eſt: velut etiam loquitur Rubrica Miſſis. Plicandum eſt corporale collocando interim Calicem ad dexteram, vel ad ſiniſtram Altaris, vt magis placet commodatur, & poſito intra Burſam Corporale, ponitur velum extenſum ſuper Calicem; quod in anteriori parte ita extendendum eſt, vt Calix non aſpiciatur, ſicut initio Miſſæ. Quod non caret Myſterio; nam ad offertorium velum amouetur à Calice, vt calix videatur à populo; quia tunc manifeſtè in Miſſa Paſſio Chriſti repræſentatur; vnde & finita eius repræſentatione rurſus velatur Calix ne videatur, vt prius, ſed vndequaq; ocultetur. Gau. p. 2. tit. 10. & 16. Quod & nos tenemus, vt in ſuperiori Capite diximus. Et certè non eſt abſq; confuſione videre in eodem templo Canonicorum, aut Religioſorum aliquos celebrantium Calicem cooperire, alios verò denudatum relinquere; Deberent ergò Prælati ſuper huiuſmodi errores inuigilare, ac ſua auctoritate è medio tollere, ac tandem omnes vnitatem ſeruare.

XXX. Ad Orationem (Libera nos &c.) Sacerdos oſculatur patenam ad illa verba; Da propitius pacem; quaſi per oſculũ huiuſmodi pax à Deo petatur. Gau. ibidem. pag. 128.

XXXI. In fractione Hoſtiæ; incipitur fra-

fractio à ſuperiore parte ipſius Hoſtiæ, & ſimiliter pars præſcindenda à ſuperiori parte Hoſtiæ dimidiatę præſcinditur. Gau.ibidē: Multi tamen illam particulam accipiunt non ex ſuperiori parte Hoſtiæ: ſed ex inferiore. Et laudabiliùs exiſtimarem ſi acciperent illam particulam, quæ magis foras propendit,& ſtat ad modum cadendi, vt plurimum in fractione Hoſtiæ accurrit. Salua ſemper,&c.

XXXII. Cùm Sacerdos facit conſecrationem, & ſumit Sacramentum ſemper ſtare debet ſuper lapidem ſacratum, & cum facit ſignum cum Hoſtia ſuper patenam(vt ſupra diximus) Ad communionem non mouet patenam (vt ſupra diximus): ſed eam immobilem tenet, &c. Gau.ibidem.

XXXIII. Quando conſecrantur particulæ, &c.reponendæ ſunt in ciborium ante ſumptionem ſanguinis,vt fragmenta, ſi quæ ſunt deponat in calicem: nimirum quando particulæ conſecrantur ſuper corporale, & non intra ciborium.Gau.ibidem.

XXXIV. Sacerdos in fine Miſſæ priuatę, &c. (nam in Miſſa ſolemni celebrans ad maiorem ſolemnitatem, non aperit neq; claudit librum) manu dextera ſic librum claudit, vt pars libri clauſa aſpiciat Calicē:

ſi verò vtitur Miſſale ad Euangelium S.Ioannis claudit librum versùs cornù Euangelij non versùs Calicem.Gau.ſup.cit.

XXXV. In benedictione, quæ datur à Celebrante in fine Miſsæ; vnicum producit Crucis ſignum, ſemelq; benedicit ad differentiam Epiſcopi, qui ter benedit. Gau. p.2.tit. 12.vt ſupra diximus.

XXXVI. Abſoluta Miſſa, celebrans accipit ſiniſtra Calicem, & dextera, ne aliquid decidat ſuper illum poſita, reuoluta ſuper eum decenter anteriore parte veli, nullam hìc faciens reuerentiam deſcendit ad infimum Altaris gradum: vbi operto capite facit profundam Cruci reuerentiam: vel ſi in ea eſt tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, genuflexionem: erectus verò nullam aliam denuò facit reuerentiam, quod obſeruãdum quoque eſt in principio Miſſæ. Gau. p.2.tit. 10. Vnde apparet, quòd non benè faciunt, qui deuotionis gratia plures faciunt reuerentias, quàm debent: nempe ante Altare, & poſt Altare: & in lateribus Altaris, &c.

XXXVII. Candelæ extinguntur à Miniſtro, primò in cornu Euangelij, deinde in cornu Epiſtolæ: & hoc faciat poſt abſolutum Euangelium S.Ioannis: ibidem. Magis tamen mihi placet Præceptoris noſtri nouitiatus inſtructio: qui ſuos Alumnos ſic inſtrue-

ſtruebat: vt nempe prius extinguerent in cornu Epiſtolæ candelam: & ita miniſter paulatim ſe diſponeret, vt cum celebrans peruenerit ad illa verba: (& Verbum Caro factum eſt &c.)ipſe ſtudio ſit in medio Altaris per modum tranſeuntis; & cum Sacerdote ſimul ad illa prædicta verba profundam faciat genuflexionem: & hoc interim, quod celebrans diſponit Calicem: extinguat alteram candelam in cornu Euangelij, & non ſinat candelas fumigare. Et ſtatim ſe retrahet ad dexteram Sacerdotis: ac iterum facta cum illo vltima reuerentia, ſiuè genuflexione prout conuenit pergit in Sacriſtiam ambulando, prout Sacerdos ambulat.

XXXVIII. Sacerdos reuerſus ab Altare in Sacriſtiam, non omittat debitam reuerentiã capite cooperto Cruci, vel imagini in illa poſitæ quod obſeruatur etiã in principio antequã exeat de Sacriſtia: poſtea ordine retrogrado, quo ſe induit exuat, oſculando, quæ crucem gerunt, poſtremò lauat manus loco conſueto. Ibidem. Quicquid ſit de illa reuerentia imagini, vel Cruci poſt Sacrum facienda, auctoritati grauiſſimi huius Auctoris me remitto: poteſt nihilominus omitti abſque defectu: quia Rubrica nihil de hac re præcipit: & nihil eſt addendum, quod in Miſſali non eſt ordinatum: Quò verò ad deponenda

paramenta : melius foret si Sacerdos prius deponeret stolam ante manipulum: ratio est; quia si post ipsum debet alter Sacerdos vti ijsdem paramentis: vel ipsemet sequenti die: statim habet in promptum manipulum, cùm ex Rubrica induitur ante stolam: & Rubrica loquitur de modo induendi, non exuendi, salua semper meliori sententia.

XXXIX. Quibus diebus prohibetur fieri de festo Duplici: argumento à fortiori sumpto, non possunt dici Missæ votiuæ, neque de Requiem, quod obseruandum est infra octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes in feria quarta Cinerum, in maiori Hebdomada, in Vigilijs Natiuitatis, & Pentecostes: vt decreuit Sacra Rit. Cong. 28. Augusti 1627. Tamen pro re graui, quę est quando conuenit Episcopus cum toto Clero, poterunt Missę votiuæ cantari etiam in festis non verò maioribus. Gau. p. 1. tit. 45. & 6.

Quæ omnia ab obseruantioribus diligenter obseruantur, à quibusdam verò negliguntur, ac si numquam apparuissent, aut nullum haberent Prælatum, cui parere tenerentur. Et ideò, vt huic errori occurratur remediumq; opportunum prębeatur, debẽt vigilantissimi Episcopi, Visitatores, aut Vicarij Generales curare, vt illa, & alia diuersa decreta ad maiorem Dei gloriam ædita in omni-

nibus Sacristijs appendantur, ac dubijs occurrentibus legantur; ac sic errores, quoad fieri potest, caueantur; & sic nullam ignorantiæ excusationem habebunt; qui verò illa studio ignorare voluerit, caueat ne & ipse in die irę Dei ignoretur, & à gloria excludatur; nam ignorans ignorabitur.

XXXX. Non est putandum huic Rubricè derogari in Pontificali Romano in ordine Præsbiterorum, quibus in fine præscribitur, vt post primam Missam celebrent alias tres: nempè de Spiritu Sancto de B. M. Virgine, & pro Defunctis; Id enim intelligitur saluis Rubricis Missalis, alioquin absurdum esset, celebrata prima Missa in Natale Domini, in tribus sequentibus diebus festis recitare Missas votiuas prædictas, & pro Defunctis vt patet. Gau. ibidem.

XXXXI. Si anniuersaria dies pro Defunctis cadat infesto duplici, vel quod à populo colitur, debet mutari in præcedentem diem, vt citius Defunctis suffragium exhibeatur: quę ratio militat etiam in tertio, septimo, & Trigesimo, vel in sequentem diem non impeditam; vt sæpius decreuit Sacra Rit. Cong. & nuper 27. Septembris 1608. & die 29. Maij 1614. Teste Gau. par. tit. 5.

XXXXII. Sequentia pro Defunctis dicitur in die commemorationis omnium fide-

lium Defunctorum, & depositionis Defuncti,& quandocumq; in missa vnica tantùm dicitur oratio; in alijs autem diebus, siue Missis prò Defunctis dicitur ad arbitrium Sacerdotis,etiam quando dicuntur tres orationes; nam quando vnica tantum dicitur oratio non erit prætermittenda,vt sonat Rubrica. Gau.ibidem.Rubrica Mis. Gener.pro Defunctis &c.

Hæc pauca traxi ex prædicto Bartholomeo Corsetto: Licèt citauerim Gauantum, vti in eius libello legi; & hęc præsentis capit.scripsi in Rhætia, dum essem Missionarius in Episcopatu Curiensi in nostro pauperculo hospitio Sanctissimæ Trinitatis, in Gryseo fædere propè Danisium, & Tauanasam, in gratiam(vt supra dixi) Sacerdotum Germanorum,ac præcipuè Æluetiorum, ac Rhætorum,quorum plurimi tam tenuia habent beneficia; quod si non haberent bona paterna;vix possent se alere:& mirum non est, si aliquando non possunt sufficientes habere libros: & ideò in hoc paruo opere restrinxi quantum potui res illis necessarias ad rectè celebrandum; ac præcipuè virtutes, quas sequi debeant, vt possint ire de virtute in virtutem,donec ad Dominum Deum virtutum peruenire mereantur, ac gloria ęterna post ingentes labores fruantur.

Ali-

Aliquoties etiam mentionem feci de Miſſionarijs, & licet generaliter de omnibus intellexi, ſpecialiter tamen de noſtris Capucinis; qui ſunt in Miſſionibus Rhætiæ apud Germanos, quorum præclara geſta deberem hic tangere, ſed cùm ſim eiuſdem Prouinciæ, eiuſdemq; inſtituti non audeo illorum merita, ac opera narrare; at ſi ego tacuero lapides clamabunt; nam pro maximo habetur miraculo; quod pauperculi Religioſi, ſuis omnibus pro Dei amore ante profeſſionem, ſpretis, ac relictis in pauperculis (vt plurimum) locis, Deo auxiliante, cum populorum labore in curriculo quadraginta circiter annorum; tot etiam templa ædificarunt ſcilicet 24. edificata ſunt à fundamentis, & 20. circiter reſtaurata, multas campanas etiam fecerunt; pluresq; domos pro Sacerdotibus reſtaurarunt, vel à fundamentis erexerunt; multa bona Eccleſiaſtica tàm mobilia, quàm immobilia prò curis præpararunt; Quot tabernacula illuc duxerunt? Quot Candelabra? Quot Calices? quot cuſtodias, ſiue ciboria? quot turribula? quot antipendia? planetas, velamina piuialia, miſſalia, corporalia, diuerſaq; alia paramenta, ſcit ille, qui numerat multitudinem ſtellarum &c.

Quot Iuuenes ad Sacerdotium perduxerunt: quot periclitantes in fide firmarunt?

quot errores, superstitiones, prauosq; mores extirparunt? Insuper pro salute animarum plurimas deuotiones instituerunt; Indulgentias pro diuersis Ecclesijs, ac Altaribus obtinuerunt: Confraternitates, erexerunt Sæpiùs Doctrinæ Christianæ libellum Typis mandarunt, cū alijs benefitijs, &c. & ideò pessimè faciunt, qui illos persequuntur, calumniantur, ac tribulant: sed sæpè recordentur; quod scriptum est: *Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Psal. 26.

Quis fidem per omnes mundi partes disseminauit, ac plantauit, nisi Missionarij? quis idolatriam destruxit, nisi Missionarij? Quisnā sanguinem fuderunt pro prædicatione Euangelij, nisi Missionarij? Christus Dominus fuit Missionarius: sicut me misit Pater: Apostoli Missionarij: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio Luporum: Discipuli Christi fuerunt Missionarij: Designauit Dominus, & alios septuaginta duos; & misit illos binos &c. Hæc in gratiam, ac laudem Missionariorum: vt æquo animo sint in medio Luporum, scilicet hęreticorum: nec debent timere eos, qui occidunt corpus &c. Amen dico vobis (ait idem Christus) amicis meis, ne terreamini ab his, qui vos persequuntur &c.

ALIA MONITA SACERDOTVM.

CAP. X.

Quam Horendum ſit Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in peccato mortali offerre.

Ex Reuelationibus Beatæ Birgittæ *lib.* 1 *cap.* 47 *lib.* 4. *cap* 135. *& lib.* 6. *cap.* 9 *Colloquium Christi cum* Beata *Birgitta.*

ILle Presbiter, pro quo tu oras, cum accedit ad Altare, tunc auerto faciem meam ab eo, & adſtant ad latera eius Dæmones, cuius,& animam inhabitant, quia ipſe eſt mortua ante me.

Cum imponit ſibi ſuperhumerale, hoc eſt amictum, Dęmones obumbrant animam eius, vt non cogitet, & non intelligat, quam terribile ſit accedere ad altare meum, & quā mun-

mundus esse debet, qui mihi mundissimo adstare debet.

Cum induit se Alba, duritia cordis, & indeuotione induitur, quia cogitat peccatum suum non esse graue, supplicium æternum futurum non magnum, & quale gaudium est æternum, numquam venit in mentem eius.

Cum cingit se Cingulo, tunc ligatur Voluntas eius cum Diabolo, ita quod velit, & proponat morari in peccato,& tunc dissoluitur charitas mea ab eo,quia volũtas eius est ad omne id, quod Diabolus ei inspirat in mentem.

Cum imponit sibi manipulum, omnia opera ad Deum sibi fiunt grauia, onerosa, & erubescibilia, terrena autem læuia.

Cum imponit sibi stolam, Diabolus graue iugum imponit collo eius, & sic onerat animam eius, quod non finit eum ingemiscere, vel considerare peccatum suum.

Cum induit se Casulam, tunc perfidia induit eum Diabolus, quando autem legit Cõfiteor, Dęmones respondent, mentitus es, nos sumus testes, quod Confessio eius est similis Iudæ, quia dicit aliud ore,& aliud habet in corde.

Quando verò consecrat Corpus meum, tunc

tunc fugiunt Dæmones ab eo, & corpus eius remanet quaſi truncus, quia anima eius mortua eſt ante oculos meos.

Cum autem corpus meum applicat ad os ſuum ex præſumptione illa, omnis Turba Dæmonum reuertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet.

Ecce tales Sacerdotes, non ſunt mei Sacerdotes, ſed veri proditores, ipſi enim, & me vendunt quaſi Iudas, & produnt. Ego conſpicio Paganos, & Iudæos, ſed nullo videó eis deteriores. Quia ipſi Sacerdotes ſunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.

Maledictus ſit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, & paſcit corpus in cibum vermium, & Animam in Infernum.

Maledictum ſit ergo omne, quod de terra ad vtilitatem ſuam receperint, quia non laudant Deum, & Creatorem ſuum.

Maledicti ſint, à Cælo, & Terra, & ab omnibus creaturis inſenſatis, quia ipſæ obediunt Deo, & laudant, & iſti ſpreuerunt.

Maledicta ſit hora, quæ incipit eis in Inferno, & nunquam finietur.

Maledicti ſint Anni eorum, quibus vixerint inutiliter.

Maledictus ſit Viſus eorum, quia non videbit Viſionem Dei in me, ſed tenebras, & pœnas Inferni.

Male-

Maledictę sint Aures eorum, quia non audient verba mea, sed clamorem inferni, & horrorem.

Maledictus sit Gustus eorum, quia non gustabit de bonis meis æternis gaudium, sed amaritudinem æternam.

Maledictus sit Tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum.

Maledictus sit Odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suauissimum, in Regno meo excedentem omnia Aromata; sed fætorem in Inferno habebunt, amariorem felle, & peiorem sulphure.

Maledictum sit Corpus eorum, quod resurget, in Inferno sine fine arsurum. Propterea iuro in Veritate mea, quia sum Veritas, quod si sic moriuntur, sine fine Damnabuntur. Væ talibus, quod nunquam nati fuerint: ipsi enim profundius cadunt in Infernum, quam aliquis alius.

Sacerdoti indignè celebranti exhortatio.

HEu miser Sacerdos; qui mortuus in Cœlo, viuis in Inferno, atque Diabolum habes in corde tuo, & ad Sanctum accedis Altare, ad profanandum Sanctuarium Dei, & illudendum nomen Sanctum suum, ore

ore benedicis, & corde maledicis, in faciem benigni Saluatoris conſpuis, dum Verba Sacramenti immundo ore profers, & Maieſtatem illam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, & omnis Curiæ cæleſtis exercitus inceſſabili voce proclamat Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu impie irrides, ac blaſphemas, quando corde Siles, & ore veluti Canis latrans, clamas: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea, & ponis illam Sanctiſſimam Carnem in os tuum immundum, ex Spiritu Sancto in Vtero Virginis immaculato conceptam, eam quæ eſt Mundi prætium dentibus tuis venenatis mordes, deuoras, & proijcis in ſterquilinium Animę tuæ, quaſi in lutum Platearum. Non minus eſt deteſtabile in os pollutum, quam in Lutum ſepelire Dei Filium, Patrem tuum, Creatorem, & Redemptorem, pretium Redemptionis noſtræ. O Iudæis peior, & Iuda deterior, horret Infernus, & contremiſcunt Diaboli, cum tu temerè præſumis, Corpus, & Sanguinem Chriſti indignè manducare, & ſi non morieris poſt Sacrilegam Sumptionem vt Iuda, viues pro maiori ſupplicio, & grauiori pœna; & ſi non conuertaris, theſaurizas tibi iram in die iræ, & Reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecun-

dum opera eius,& tanto diſtrictior erit in iudicio,quanto tibi ante iudicium maiorem patientiam prorogauit.

Diſce ab irrationalibus Sanctiſſimam Euchariſtiam venerari indigne Sacerdos , nam Aſini inſipientes, ſed te Sapientiores Auguſtiſſimum hoc Sacramentum venerati ſunt, vt habetur in Annalibus Soc. Ieſu,lib.2.c.27. Muli etiam, vt patet in Vita Sancti Antonij . Rudes oues, in Vita S.Franciſci, & Boues,vt refert Ceſar.lib.9.c.7. & denique Apes , vt Petrus Cluniac. Caniſius Bozius &c.

Conſidera tandem in hac Vita , Deum , Opt. Max. Sceleſtos Sacerdotes puniuiſſe , nam multi à canibus deuorati , ab Araneis impetiti,à Cancro confecti, linguæ ſtupore , ſubitaque morte caſtigati ; ſed quod magis horridum eſt,& contremiſcens refero , Aliqui cæleſti igne combuſti , nonnullique in ipſomet Sacrificandi actu viſibiliter à dæmonibus ſuffocati fuerunt,atque eorum corpora in inferno ſepulta . Vide Baron. Anno 362. & Cedren. SS.Cyprian. Aug.lib Miracul.SS.Sacr.Caue & ne tibi hoc accidat, cum timore,& tremore ad hanc Regalem menſā accede.

Agnoſce Frater Chariſſime Sacroſanctam Regalem dignitatem tuam, quali honore ſis inſignitus, quem Virgo & Mater genuit, tu

ver-

verbis concipis; & quali menſa fruaris. Carne, & ſanguine Domini Noſtri Ieſu Chriſti paſſus es: ò fœlix exercitium, ò Sanctitudo manum, ò lingua benedicta, ò pectus Sacratum, ò Venter Beate ſi hoc mane, ea puritate mentis, & corporis, qua decet recipies Corpus Chriſti, eris altera Maria, cuius Venter fuit Paradiſus Filij Dei, & Sacrarium Spiritus Sancti.

O R A T I O.

BEnigniſſime Ieſu, fons Amoris, & Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui pro ſalute humani generis, Corpus tuum Sanctiſſimum, pignus futuræ Glorię, nobis Filijs, & hæredibus reliquiſti, quod ſola fide cernitur, & corde firmiter creditur, Communione Carnis, & Sanguinis tui nos diuinitatis eſſe participes voluiſti; Te humiliter deprecor, ego cinis & puluis, & nihil, antequam accedam ad altare tuum, quod eſt Cælum, & Paradiſus, mihi concedere digneris tuam Sanctam benedictionem, perfectam cordis contritionem, oris plenam confeſſionem: & operis completam ſatisfactionem, vt tuum Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam cum lacrymis offerens in ſublimi Altari tuo, Niue candidor, Lilio-

que purior digne recipere valeam, in remiſſionem peccatorum meorum, omniumque viuorum, in refrigerium Mortuorum, in gaudium Sanctorum, lætitiam Angelorum, & Totius Trinitatis Gloriam ſempiternam. Amen.

DE DIGNITATE SACERDOTVM

Ex Diuo Auguſtino.

O Veneranda SACERDOTVM Dignitas, In quorum manibus DEI filius, velut in vtero Virginis incarnatur. O Fœlices Sacerdotes, ſi ſacerdotaliter vixeritis. O Cœleſte Myſterium, quod per Vos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tàm mirabiliter operatur ſuper tàm ineffabili miniſterio veſtro, quòd vno, eodemq; momento idem DEVS, qui præſidet in Cœlo, in manibus veſtris eſt in Sacrificio. Cœlum miratur: horreſcit Infernus: contremiſcit Diabolus; reueretur quamplurimùm Angelica Celſitudo. Quid retribuam Domino (vt taceam de cęteris, quæ retribuit mihi) pro tàm ſingulari dono Sacerdotij mihi impenſo: quod eſt datum optimum, & donum perfectum? O Venerabilium ſanctitudo ma-

nuum; O fælix exercitium vbi tractat Christum Sacerdos DEI filium, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum. O SACERDOTES, attendite: Maior est dignitas vobis collata, quàm Angelis, qui adorant; quod vos conficitis, nec ipsi illud cōficere possunt. O altitudo Sapientiæ DEI; O ineffabilis clementia Saluatoris; Quod Angelis non est datum, concessum est homini. SACERDOS hoc Sacramentum ineffabile conficit, & Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit. O quàm venerabile, quàm gloriosum, quàm insigne fuit apud antiquos nomen SACERDOTII? Sed hodie quid abiectius eo, quid vilius? O SACERDOTES, si Anima cuiuslibet iusti sedes DEI est, multò magis sedes, & templum DEI vos esse debetis mundum, & immaculatum. Si Sepulcrhum eius gloriosum est, in quo Corpus iacuit exanime: gloriosiora, & digniora esse debent corpora vestra, quæ, qui à morte suscitatus est, quotidie inhabitare dignatur. Si beatus est venter, qui nouem mensibus Christum portauit; ità, & si non tantùm, tamen beata debent esse corda vestra, in quibus quotidie eligit sibi hospitium filius DEI. Si beata sunt vbera, quæ paruulus suxit: ità debet esse os beatum: quod carnem eius sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum ti-

more eius configite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de Cœlo filium DEI, contra Dominum loquatur: & ne manus, quæ intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccati. SACERDOTES, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Exodi 19.

Conditiones aliquæ boni Sacerdotis.

SAcerdos debet esse alumnus
A peccatis segregatus
Rector, non raptor
Speculator, non spiculator
Dispensator, non dissipator
Pius in iudicio
Iustus in consilio
Deuotus in Choro
Stabilis in Ecclesia
Sobrius in cœna
Tacitus in Choro
Prudens in lætitia
Purus in conscientia
Assiduus in oratione
Humilis in congregatione
Virilis in contritione
Patiens in aduersitate
Lenis in prosperitate

Diues in virtutibus
Expediens in actibus
Sapiens in sermone
Verax in prędicatione.

ANNOTATIONES à SACERDOTIBVS

Sacrum facturis præmeditandæ.

1 AGnosce Sacerdos dignitatem tuam; Regale enim Sacerdotium, & gens sancta; Sacerdos igitur indue iustitiam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in aliquam vilitatem degeneri sæcularium conuersatione, aut indecora circulatorum scurrilitate defluere. Memento in quale caput imperium exerceas, quale corpus conficias, tractes, administres, immoles, & sumas. Insurge in animum tua celsitudine dignum. Accede homo ad cor altum, vt exaltetur Deus, & tu ipse ex homine fias Deus. Si Dij sumus, & filij excelsi omnes, quę sunt digna Deo promamus: non vt homines moriamur, aut sicuti vnus de Principibus, videlicet, sicuti Lucifer propter superbiam, aut sicuti Adam propter gulam, aut Euæ amorem turpiter cadamus.

2 Si non solùm Ozam repentino interitu

percussit Dominus super temeritate, eò quòd extenderit manum in Arcam Domini; Verùm etiam percussit de Viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini, septuaginta viros de populo, & quinquaginta millia plebis: quantò magis percutiet Dominus eos, qui immundis oculis audent intueri, manu sacrilega contrectare, ore, & corde nefario sumere, quod in ipsa Arca omni Arca sacratius continetur? Hinc est, quod post viuificam sumptionem Corporis Christi adhùc sint multi infirmi, & imbecilles, & dormiant multi.

3 Sancta admiratur Ecclesia in Hymno SS. Ambrosij, & Augustini, quòd Filius Dei non horruerit Virginis vterum, quasi Beatiss. ac Immaculatæ Virginis vterus non fuerit dignum Deo habitaculum, & erit dignum Deo habitaculum guttur illud, de quo dicitur; Sepulchrum patens est guttur eorum? aut cor illud, de quo, vt ait Christus. Matth. cap. 15. Exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ? Nè igitur aliqua mortali labe infectus accedito, ne venenum, aut iudicium tibi manduces, non dijudicans Corpus Domini. S. Tridentina Synodus, Sess. 13. Can. 11. statuit, atq; declarat, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quan-

tumcunquè etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem.

4 Si, qui tantum ferunt Vasa Domini, mundi, ac puri esse debent, quanto magis nos, qui ipsum Dominum manducamus, & cælestem liquorem Sanguinis Domini bibimus? quo non oportet esse puriorem tali fruentem Sacrificio, quo non Solari radio splendidiorem manum carnem Domini diuidentem?

5 Vide quam turpe sit Lupos fieri, qui Agnum comedunt, & qui cibo vescuntur Angelorum, siliquis delectari porcorum.

6 Recordare, quod habet Catechismus de Sacramento Ordinis. Accedere ad Altare lucri causa, maximum esse Sacrilegium.

7 Hoc mysterium, testè D. Chrysostomo, non à rapina tantum, verùm ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus iubet; est enim pacis mysterium. Vade ergo prius reconciliari fratri tuo.

8 Vide, nè te confundant in die Iudicij, quamplurimi Laici, & Mulierculæ te Sacerdote, qui lucerna, & sal Domini ad alios saliendos, & illuminandos esse debes, puriores, & sanctiores: vnde surgant indocti, & rapiant Cœlum, & tu cum tuis litteris mergaris in profundum.

Si

9 Si cupis re cum Sacramento ditari,& ex eo vberrimam gratiam percipere, humilis accedas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, Humilibus autem dat gratiam, & ſemper reſpexit humilitatem.

10 Si nullam ſentis deuotionem, elice actū firmiſsimę Fidei, quo profitearis veriſſimam Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis: Non enim ſine cauſa dicitur Myſterium Fidei. Dic ſaltem cum D.Petro. Tu es Chriſtus Filius Dei viui.

11 Sacerdoti inanibus Dijs Sacra facienti clamabat quidam: Age,quod agis;age,quod agis. Sonet hęc vox in auribus tuis,vt maiori,qua potes, animi applicatione tantum peragas Sacrificium.

12 Si res ſanctæ cum grauitate ſunt tractādæ,quanam grauitate hæc ſacratiſſima actio, quæ eſt res plena omnis ſanctitatis, obeunda erit? cur ergo tam feſtinanter, tam pręcipitanter Sacrum non abſoluis,ſed diſsoluis,qui integras horas in prandio,& cęna ponis? Si Hebrei comedebant Agnum feſtinanter: hæc omnia contingebant illis in figura, & erat tranſitus Domini, caue ergo ne tibi ſacrificium iſtud contingat in figura, & vmbra dumtaxat,& tranſeat à te Dominus nullo relicto ſuæ gratiæ veſtigio. Chriſti Domini Sacrificium referas,ſed fructum eius nō referas.

ME-

MEDITATIONES

Ad ſingulas illius celeberrimæ Præparationis Formulæ Dictiones: iuxta Sacerdotis opportunitatem, & deuotionem ante Miſſam faciendæ; Cum Indulgentijs 50. Annorum à Papa Gregor. XIII. conceſſis.

EGO. In ſceleribus à iuuentute mea, miſer, vilis, & immundus, terra, cinis, putredo, & corruptio, vermis, & non homo; quin etiã opprobrium hominum, & abiectio plebis: qui toties Deum offendi, proximum læſi, mihi non peperci.

Volo. Dei voluntate, Dei beneplacito, Dei diſpenſatione, miſericordia, gratia, & benignitate: per quæ omnia vtiq; & ſanctificationem mihi ſpondere potero, & ſalutem; cùm præſertim hęc ſit eius voluntas, ſalus ſcilicet, & ſanſtificatio mea.

Celebrare. Rem maximam, Angelis non conceſſam, contrectare, è Cœlis Dei Filium aduocare, atque in manibus meis, velut in-

viſce-

visceribus Matris Virginis ipsum incarnatũ coarctare. Passionis eius memoriam recolere, futuræ gloriæ pignus accipere, viuos, & mortuos adiuuare.

Mißam. Viuam, ac veram nostræ Redemptionis repręsentationem, incruentum Christi Sacrificium, quotidianum nostri Generis remedium, primum, atque nouissimum Presbyterorum opus, Trinitatis laudem, Angelorum lętitiam, iustorum solatium, peccatorum veniam, viuorum subsidium, Defunctorum refrigerium.

Et Conficere. Transubstantiare in Christi Corpus panem, & in eius Sanguinem vinum omni possibili attentione, fide, deuotione & grauitate, ac ea, quà par fuerit humilitate, reuerentia, timore, innocentia, & puritate tam mirabile pietatis Sacramentum incomprehensibiliter confectum sumere, & ministrare.

Corpus. Diuinum, verum, viuum, immortale, impassibile, gloriosum; Quod est viatorum cibus, debilium robur, robustorum satietas, animæ præsidium, cordis gaudium, manna absconditum, datum optimum, donum perfectissimum, quodque Cœlum miratur, horrescit infernus, reueretur quàm plurimum Angelica celsitudo.

Et Sanguinem. Qui est purgatio delictorũ,

redemptio captiuorum, potus viatorum, ſolamen tribulatorum, condimentum ærumnarum, ſanitas ægrotorum, reſurrectio mortuorum, fons vitæ, mundi pretium, gloria Chriſtianorum.

Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui eſt verus Deus, & verus homo, totus in Cœlo, totus in terrà, totus in vniuerſo; omnia implens, omnia complectens, omnia diſponens, omnia ſciens, omnia proſpiciens; Qui eſt Pater noſter, Frater noſter, Amicus noſter, Medicus, Conſolator, Magiſter, Dux, Paſtor, & Protector noſter.

Iuxta ritum S. R. E. Cui corde, verbo, & opere me inhærere, ſubijcere, & conformare ſemper intendo. In quà firmiter perſiſtere, fideliter viuere, ac finaliter mori proteſtor. Pro qua Dei munere, fide, ſpe, & charitate munitus, tormenta perferre, ſanguinem fundere, mortemque demum ſubire non dubitabo.

Ad laudem omnip. Dei. Qui eſt omnium rerum ſine fine principium; qui ſemper fuit, & qui futurus eſt ab omnibus laudandus, benedicendus, glorificandus, colendus, amandus, & poſſidendus. In immenſum delectabilis, in infinitum amabilis, in æternum deſiderabilis. Spes, amor, & vltimatus noſtrorum deſideriorum finis.

Totius

Totius Curię Triumphantis . Quæ est mater nostra, hæreditas nostra, possessio nostra, habitatio nostra, requies, felicitas, & beatitudo nostra . Vbi multitudo psallentium , lætantium, iubilantium , exultantium in Deo salutari suo , qui sine intermissione incomprehensibilem illam Diuinę Celsitudinis Maiestatem laudant, benedicunt, & glorificant in æuum.

Ad vtilitatem meam . Spiritualem pariter, & corporalem, secundùm velle, & beneplacitum æternæ Prouidentiæ : de cuius misericordia omnis vtilitas, & bonitas, omnis ordinatio, & dispositio omnis salus , perfectio , & sanctificatio spiritùs , & corporis mei procedit.

Totiùsque Curiæ militantis . Quæ est vallis lachyrimarum; miseria, calamitas, militia, peregrinatio nostra , Vbi multitudo languentiū, cœcorum, surdorum, claudorum, & aridorum, Diuinæ miserationis motum expectantium, Cœlestis Patriæ requiem suspirantium, pacem, consolationem, medicinam, sanitatē exclamantium.

Pro omnibus, qui se commendarunt, &c. Vt habeant lumen ad agnoscendum , memoriam ad recolendum , intellectum ad cognoscendum, voluntatem ad appetendum , & virtutē ad operandum semper quidquid bonum , quid-

quidquid perfectum, sanctum, & iustum est. Vt liberentur à malis præsentibus, præteritis, & futuris : & omni tempore colant, & obseruent præcepta Domini, & faciant eius voluntatem.

Et pro felici statu S. R. E. Vt Summus Pontifex incolumis, iustus, piùs, prudens, sapiens, discretus, & sanctus in suo regimine conseruetur. Vt hæresum tempestates, Christianorùmque Principum dissentiones omninò sedentur, & componantur. Vt Catholica Fides magis ac magis in dies augeatur, ac per vniuersum Orbem vna cum regulari Disciplinà propagetur. Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, terrarùmque tribunalia, & regimina omnia tàm Ecclesiastica, quàm sæcularia semper candore veritatis, iustitiæ rectitudine, atque incorrupta Ministrorum fidelitate exerceantur. Denique, vt totum ipsum Ecclesiæ Romanæ Corpus iam Domini Spiritu sanctificatum, & rectum gaudeat, iubilet, & exultet omnium hæreticorum, infidelium schismaticorum, cunctorùmque membrorum perditorum conuersione, totiùsque Orbis pace, concordia, & vnitate sempiterna.

Amen: Quod votis Domine, efficaciter exoptatur, viribus fideliter affirmatur, vocibùsque suppliciter postulatur; non in meas

ini-

iniquitates magnas, pro quibus timeo; sed in tuas miserationes maximas, pro quibus gaudeo, benigne respiciendo; fiat, precor, Omnipotens, fiat, & misericorditer concedatur, Amen.

Hanc eruditissimam expositionem accepi à R. P. Bonagratia ß'lsata meo Lectore, qui his diebus prȩclara opera Typis mandauit omnibus Religiosis precipuè Capuccinis necessaria.

CAP. XI.

MODVS MINISTRANDI MISSIS PRIVATIS.

Prætereà, quæ circa modum ministrandi Missis priuatis in Rubricis generalibus dicuntur, & in hoc opere à nobis subindè demonstratum est specialiter modò; quæ sequuntur notanda sunt.

1 SAcerdos igitur dum celebrare voluerit, ac sibi ministrum eligere non debet quemcumq; eligere; sed ex prudentioribus; & si possibile est ex ijs, qui sunt in Sacris, vel vestem clericalem deferunt, & si potest habere, qui habet ordines minores, vel saltem pri-

primam tonſuram; non debet admittere eos, qui neutrum habent; & eſto quòd neceſſitate compulſus debeat accipere ex ijs, qui nullum habent ordinem, aut primam tonſuram, tamen debet accipere, aut eligere prudentiorem: & non admittere, ſi non eſt calceatus, cum collario ad collum, lotis manibus, decenter veſtitus vna cum ſuperpelliceo.

2 Dum ergò Sacerdos incipit ſe induere; debet miniſter reuerenter illi paramenta porrigere ſine confuſione, extollendo paramenta ad altitudinem ipſius Sacerdotis, non non permittendo, quod multum ſe inclinet, non tangendo illi caput, faciem, aut collum dum albam porrigit, cingulum vſq; ad latera porrigendo, non permittendo, quod Sacerdos violenter retrò manus porrigat.

3 Non debet albam eleuare, ſi eleuatione indiget; donec Sacerdos ſit bene præcinctus, & priùs incipiat extollere Albam, tunc & miniſter debet incipere retro extollere albam, & ſe inclinare, & videre quod alba ſit benè adæquata: & ſaltem quatuor circiter digitis ſuperæmineat à terra, vel ſuper terram.

4 Prudens quoque Sacerdos, poſtquam eſt bene præcinctus debet tempus miniſtro dare, vt poſſit omnia recto modo diſponere, non debet ſe inclinare, aut retrò pendere, ſolum caput, & manus mouere: in reliquo

rectus stare, alioquin nunquam poterit benè se induere, & hæc est vnica causa, quòd Alba per terram trahitur. Postquam ergò Sacerdos erit indutus sacris vestibus; Minister accipiet Missale, non tenendo illum more puerorum super pectus, sed in summitate manuum more aliorum ministrorum, qui Missæ solemni inseruiunt.

5 Minister ergò facta cum ipso Sacerdote reuerentia Cruci, vel imagini, ipsum Sacerdotem præcedet grauiter incedendo, prout ipse facit, demissis ad terram oculis, faciet cũ illo genuflexionem aut reuerentiam, pro qualitate Altaris; & non debet ascendere ante Sacerdotem ad Altare, sed per medium passum circiter retrò illum.

Deinde si scit modum aperiendi Missale, Missamq; à Sacerdote iam inuentam reperiendi, signacula ad sua loca reponendi, hoc faciat; & non erit opus, vt Sacerdos ipse Missale aperiat, aut signacula videat: nam qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.

6 Aperto iam Missali, si candelæ non sunt accensę, statim descendat ad infimum gradũ, & facta profunda genuflexione (si celebrans celebrat ad Altare Sanctissimi Sacramenti) ita vt genu dextrum descendat vsq; ad talum, siue clauem sinistri pedis (quod semper obser-

ſeruabit in genuflexionibus) & dum accipit ad lampadem lumen, caueat, ne dorſum, ſiuè poſteriora contra Sanctiſſimum (quod ſemper obſeruabit.)

7 Accepto lumine, priùs accendat candelam in cornu epiſtolæ; deinde facta iterum genuflexione (quod ſemper ſeruabit, quando per medium Altaris pertranſire occurret) accendat aliam condelam in cornu Euangelij; deinde genuflectet ad pedes celebrantis, nunquam aſcendendo ſuper illum &c.

Dum Sacerdos incipit ſacrum, miniſter iunctis manibus reſpondebit eodem thono, quo Sacerdos incæperit clarè, ac diſtinctè, omnia verba proferendo; & dum eſt genuflexus, non debet miniſter inclinare caput, aut corpus; genuflexio enim præcellit quamcumque inclinationem.

8 Dicta à Sacerdote Epiſtola, & reſponſo à Miniſtro (Deo gratias) ſi Epiſtolæ multiplicandæ non ſunt: ſtatim ſurgit, & dum Sacerdos dicit (munda cor meum) accipit Miſſale apertum, vel clauſum prout vult, dummodò ſignacula non confundat, & pertranſeundo deſcendat poſt baſem inferiùs, & caueat ne Sacerdotem, miſſale, aut veſtibus tangat; aut in ipſum impingat, ſicut abſque vlla vrbanitate (Italicè) creanza, multi faciunt.

9 His omnibus peractis, dicto à Sacerdo-

te Dominus vobiſcum: & reſponſo à Miniſtro (& cum ſpiritu tuo) aſcendit ad ampullas iam antea paratas, & bene coopertas, ne muſcæ aut muſcilli ingrediantur: extendit ſtrophiolum, & videat ne deſcendat extra menſam Altaris ſuper antipendium, angulo ſiniſtro in interiori parte Sacerdotem verſus plicato, reponit ſuper eum ampullas, quas priùs collocat ſuper cuppam argenteam, vitream, ſtamneam, aut terream: reponendo ampullam vini ad dexteram, aquę uerò ad ſiniſtram.

10 Dum Sacerdos peruenit ad cornu Epiſtolę ſtatim miniſter porrigit illi ampullam uini, leuiter illam tenendo, leuiterque oſculando, ſemper ſe Sacerdotem uersùs inclinando; obſeruando, quod quando tenet ampullam in manu dextera, ſiniſtram teneat infra pectus, & non debet tuſſire, aut grauiter ſuper ampullas reſpirare, & dum Sacerdos uult ſibi manus, aut digitos lauare, miniſter cuppam debet ad altitudinem manuum celebrantis eleuare &c.

11 Facta manuum lotione, Miniſter iterū ad ſuum locum pergit manibus ſemper iunctis, oculiſq; demiſſis, genuflectit ſuper infimum Altaris gradum, dicto (Suſcipiat) ac pulſato ad Sanctus tintinabulo, ſiue cymba, aut campanula, ſurgit, & accendit Ceroferarium

dex-

dextrum,& in diebus festiuis etiam sinistrū; sicut etiam quando facienda est communio; licèt vnus solus communicaretur.

12 Ad Sanctus tres ictus dabit tintinabulo, vel vnicum, sed aliquantulum prolixum: Ad eleuationem iam supra diximus: si facienda est communio statim extendit, sternit, vel appendit tobaleam, siue mapulam; & iam præparata pro communicantibus purificatione; dum celebrans sumit sanguinem: dicet (confiteor &c.) si aperiendum est Tabernaculum, scamnulum, si indiget, præstabit, ne Sacerdos necessitate compulsus extollat se supra pedum summitatem.

13 Facta communione tàm Sacerdotis, quàm aliorum; surgit minister, & acceptis vrceolis, siue ampullis; vinum in manu dextera, aquam verò tenet in manu sinistra, & facta à Sacerdote secunda purificatione, ampullas reponit, illasq; iterum tegit; & statim accipit in cornu Euangelij Missale, collocat in cornu Epistolæ, quo aperto; & signaculis benè dispositis, vti prius; descendit in medium Altaris, & facta genuflexione, siue profunda reuerentia; extinguit prius manu dextera ceroferarium dextrum; manu sinistra infra pectus posita, facie conuersa ad Altare non versus populum, aut ad latus Altaris; postea manu sinistra extinguit ceroferarium si-

niſtrum manu dextera infra pectus poſita,& non ſinit fumigare candelas &c.

14 Poſtremò genuflectit, ſicut in principio Miſſæ, & data à Sacerdote benedictione, vel dicto (Requieſcant in pace) ſurgit, & extinguit candelas: vti ſupra docuimus: ſi verò in fine Miſſę legendum eſt aliud Euangeliū (non principium Sancti Ioannis) ſurgit ante benedictionem; defert Miſſale; ne Sacerdos ſit coactus expectare &c.

His omnibus peractis, pergit ad Sacriſtiā, aduertens; ne portæ, aut cortinę tangant, aut Sacerdotem offendant; quem etiam adiuuabit dum exuitur; ad tandem porriget collariam, ſi depoſuerit, pileum, vel palium. Hæc in gratiam ſimplicium miniſtrorum, qui Miſſis priuatis, omni, qua poſſunt, diligentia, diſciplina, ac prudentia inſeruire ſtudeant ſaluo ſemper iudicio, ſiue ordine Sanctæ Romanę Eccleſiæ, cui nec minimum apicem, vel vnicum iota derogare intelligo; quia iſtę non ſunt Rubricæ, cum non ſit mei iuris condere Rubricas; ſed ſimplices inſtructiones, quas ante me (in parte ſaltem) vidi in officijs Beatæ Virginis, ſtudioſorum Reuerendorum Patrum Ieſuitarum Germanorum Ciuitatis Lucernę; licèt nihil penitùs recordor; niſi de modo pulſandi tintinabulum, vt ſupra adnotaui: bene tamen recordor; quod

erat inſtructio inſeruiendi Miſſis priuatis, & non poterit à noſtra inſtructione differre, &c.

Hic proprius locus eſſet aliquid adnotandi, quomodo ſe gerere debeant Clerici, quādo duo ſimul abſq; Dalmaticis; ſed ſolùm cum ſuperpelliceis, ceroferarijs, ſiuè intorſtitijs præcedentibus inſeruiunt Miſſis nouellis, aut alijs ſolemnioribus Miſſis, ſicut moris eſt apud diuerſos Religioſos, Parochos, aut Curatos; ſed cum ſit res maioris ponderis, quàm ſuperioris; non audeo quicpiam dicere; ſolum conſilium do, quod melius eſſet omittere, quam confuſiones facere; irriſiones potiùs, quàm deuotiones in aſtantiū mentibus generare &c.

Solùm generaliter moneo, ac rogo, vt benè ſe præparent non ſolùm in Sacriſtia, ſed etiā ante Altare ianuis clauſis, omnes ſimul, qui adeſſe debent ad Miſſam nouam, ſiue ſolemnitatem: & ſemper obſeruare, vt maior clericus ſtet ſemper ad dexteram ſuo tempore vnitim facere genuflexiones: diſcernere quomodo debeant ſe gerere in incenſatione, in porrigendis ampullis, in dando ſtrophiolo, &c.

Neceſſarium foret, vt in omnibus Eccleſijs tam Canonicorum, quam aliorum Religioſorum, ſicuti etiam vti eſt numerus ſuffi-

ciens Sacerdotum institueretur ceremoniarius sicuti in Cathedralibus; qui omnia attentè obseruaret non solum in Missis nouis, ac solemnibus, sed in processionibus Sanctissimi Sacramenti, Sanctarum Imaginum, in translatione Reliquiarum, in benedictionibus palmarum, candelarum &c. cum auctoritate charitatiuè admonendi omnes; maximè, qui non obseruant Rubricas Missalis, ordinationes Ritualis, &c. Et ipse præ cæteris diligenter se gerens, & de huiusmodi rebus solicitus studere, ac libros de hac re tractantes apud se habens &c.

CAP. XII.

DE PROCESSIONIBVS.

1 INter alias sacras functiones, quas Sancta Romana Ecclesia Christiano populo tradidit, Processiones etiam numerantur; sic Diuinitùs institutę, tùm vt maiori cum decore Sanctissimum Sacramentum cometantur, quando ad ægrotos defertur, aut per ciuitates, vel alia loca portatur, vt fit in festo Corporis Christi: tùm vt aliæ sacrę ceremoniæ magis decorentur, quando à fidelibus peraguntur, vt fit in festo Purificationis Virginis

ginis MARIÆ,& etiam in die Palmarum. Tum sunt institutæ ad iram Dei placandam, vt fit tempore pestilentiæ, famis, & Belli. Sicut fecit Deuotissimus, Sanctissimus Carolus Borromeus Ecclesiæ Mediolanẽsis vigilãtissimus, meritissimusque Archiepiscopus; qui tempore pestilentiæ, humillimis precibus reconciliator accedens publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem baiulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, Diuinam indignationem auertere satagebat.

Tùm fiunt in translatione Sanctarum Reliquiarum; tùm etiam fiunt ad postulandam pluuiam, vel etiã ad serenitatem, vti moris est in diuersis locis, præcipuè apud nostros Brixianos, qui tempore siccitatis, aut etiam inundantium imbrium, siuè aquarum solent sanctissimam Crucem (de qua traditur esse ex Crucis IESV Christi ligno) eleuare, & per Ciuitatem cum maximo ornatu, ac splendore deferre, ob cuius merita præstantissima obtinuerunt beneficia.

Et quia in huiusmodi publicis, siuè principalibus supplicationibus, siue Processionibus inuitantur etiam, vt plurimum Regulares, qui post clerum Processionibus præcipuum redolent splendorem, maxime si incedant

cum omni modeſtia, diſciplina, mortificatione, deuotione, ac gratia, facti pro Dei amore ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus. Et licèt plurimi optimè ſe gerant, aliqui tamen confusè incedunt, & abſq; vlla vrbanitate, aut compoſitione procedunt. Et quia vſq; modo nullam inſtructionem inueni, quàm vnanimiter ſequi debeant, ſtatui hic breuiter adnotare puncta principalia, quibus poterunt facillimè, qui neſciunt addiſcere, benè incipere, procedere, ac peroptimè perficere, cōſolationem ſpiritualem percipere, bonum exemplum aſtantibus, vel aspicientibus prębere, ac tandem læto animo domum redire.

Religioſis igitur ad aliquam ſolemnem Proceſſionem inuitatis pridiè, ideſt ante diē Proceſſionis debet ſuperior ad ipſos ſermomonem breuem habere, ac paternè, quomodo ſe gerere debeant inſtruere, & ſi meliorē inſtructionem non habet preſentem coram ipſis, in illorum idiomate perlegere; Deinde hortari (vel vt melius dicam) præuenire, vt ſint omnes eiuſdem tonſuræ, ideſt eadem die tonſi; vt non appareat inter illos aliqua inæqualitas, ſiue diſparitas; ſicut etiam debent eſſe æquales quoad pallium, vel omnes ſimul illud habere, aut retrò relinquere, prout eſt occaſio, & tempus; & habeant omnes habitus mundos ſine aliqua curioſitate, aut vanitate.

2 Cum ergo aduenerit egrediendi hora, pulſato de more trina vice tintinabulo;excuſſa puluere è Cruce; quæ debet eſſe cooperta cum imagine Crucifixi iuxta Decretũ S. Cõgregationis; & pro viribus pulchra, & bene ornata.

3 Congregatis omnibus, qui ad Proceſſionem conuenire debent ; & relicto pro monaſterio, ſiue Conuentu Cuſtode, illoq; admonito, ne mulieres ingredi permittat , captata Religioſorum abſentia , vti aliquando fecerunt; ſuperior, aut Ceremoniarius Conuentus debet omnes ſiſtere; & vnicuiq; iuxta dignitatem, præcedentiam, vel ętatem, ſuum dare locum; & hoc in clauſtro, vel in platea conuentus facere; ſimulq; admonere, quando debent caput coopertum, vel apertum tenere, quod vt vniformiter faciant ſequi debẽt exemplum præcedentium.

4 Si erunt diſpares ſolus manebit, qui portat Crucem , vel Prælatus iuxta Religioſorum conſuetudinem; quando verò , qui defert Crucem habet ſecum ſocium, licet ſit iunior , vel præcedentia inferior, nihil ominus reſpectu Crucis debet manum dexteram tenere.

5 Antequam ambulare incipiant: debent ſe diſponere eo modo, quo debent per totam Proceſſionem procedere . Quod nempè

vnum par ab altero diſtet tribus circiter paſſibus; & vnus Religioſus diſtet ab altero per integrum paſſum; & ſic perſeuerare vſq; ad finem; & licèt alij ſe reſtringant; non propterea ipſi debent præfixum ordinem diſrumpere; & quando non poſſunt ſecus facere, vel quia iam ſunt in templo, in quo incipienda eſt Proceſſio: vel (vt ſæpè contingit) aliud templum proceſſionaliter ingrediuntur, & debent ibi aliquantulum ſiſtere: denuò egrediendo debent vt prius ſe diſponere; & quando aliquis non ita benè ambulat illum admonere; & qui pręcedunt, ſi aliquando retrò volunt aſpicere, hoc debent facere ad intra, hoc eſt ſocium verſus, non ad extra: & antequam iungantur Proceſſioni debent tenere viam breuiorem, ſed tamen mundam.

6 Poſtquam ergò peruenerint ad templũ, in quo ordinanda eſt Proceſſio; ſi nondum eſt incipiendi hora, debent in aliquo remotiori loco ſaltem per mediam horam genuflexi orare, ſacra ſi adſunt, veſperas, aut muſicam audire, bonum exemplum de ſe ipſis præbere; Chriſti bonus odor ſumus in omni loco; qui ſunt debiles, & non poſſunt cum alijs genuflexi manere, meliùs foret, vt ab alijs ſepararentur, & in Sacriſtia ſederent, donec ad Proceſſionem uocentur, & nõ debent

bent Religiosi in templo loqui, aut amicos salutare, dorsum hinc inde uertere &c.

7 Hora iam instante ingrediendi in Processionem; debent tali modo se disponere, nempe qui debent tenere manum dexterã, præparent se ad sinistram, & è contra, & cũ fuerint in medio templi facta profunda genuflexione, aut reuerentia, prout decet, & conuersi facie ad faciem vnusquisque in suo loco manebit; nempe qui erat ad sinistram, manebit ad dexteram; & viceuersa; si aderit Prælatus, vti Cardinalis, Archiepiscopus, Legatus, Episcopus in Pontificalibus: & si post ipsos adest Princeps loci, Prætor &c. debent coram illis se gerere, vti erunt (si ipsimet nesciunt) à Ceremoniarijs edocti &c.

8 Si in loco, in quo indicta est Processio, erunt diuersorum ordinum Religiosi, quilibet ordo suum locum tenebit ratione antiquitatis iuxta summorum Pontificum ordinationes; nec debent humilitatis gratia cedere iuri suo, vti dicitur, qui prior tempore prior iure &c.

9 Si in Processione candelæ deferuntur ex proprijs, vel ex alienis, debent sic illas deferre, vt tres ex quatuor candelæ partibus manum supereminea̅nt; quarta verò infra manum dependeat; & qui sunt ad dexteram teneant illas in manu dextera, qui

verò

verò sunt ad sinistram in manu sinistra, tenentes in altera manu corollam, aut infra pectus, & debent obseruare, vt candelæ sint omnes parùm inclinatæ, & videre vt lumina, quantum sit possibile faciant rectam lineam, & qui subsequuntur obseruare præcedentes, & cauere, ne guttæ liquefactæ ceræ cadant supra vestimenta ipsorum, vel aliorum.

10 Dum ergò processionaliter incedunt, si aderunt rapprçsentationes melius est pro Dei amore se mortificare, quam talia aspicere, maximè si ad risum possunt prouocare.

Si in Processione defertur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo memoria Passionis IESV Christi recolitur; poterunt meditari quomodo dilectimus Dominus Noster IESVS Christus, æterni Patris, ac MARIÆ Virginis amantissimus, ac innocentissimus Filius fune ad collum alligato, absq; misericordia per plateas, & vias Ciuitatis Hierusalem trahebatur, percutiebatur, conspuebatur, subsannabatur, & ad crucifigendum ducebatur &c.

11 Si fit translatio Reliquiarum debent meditari vitam, ac gesta Sancti, vel Sanctorũ, pro quo, vel pro quibus festum colitur, & cogitare, quomodo ob breue martyrium, aut pænitentiam ad tantam venerunt reuerentiã, vt pro quolibet ipsius Sancti, vel Sanctorum

esse, siue ossibus tanta fiat solemnitas, vt pro nihilo æstimentur diuitiæ dummodo ob honorem, & gloriam Seruorum Dei expendantur, & qui in sordibus locis pro Dei amore iacuerunt, modo in locis pretiosis, vel benè ornatis sint collocati, ac in summa veneratione habiti: certè possimus dicere cum Rege Dauid: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. Et cum Diuo Paulo: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis &c.* Et si tanta fit lætitia in Ecclesia militante, quid fiet in triumphante? Sufficit nobis dicere: quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit &c. Ex huiusmodi sacris cogitationibus Diuus Antonius de Padua ad strictiorem Regulam transuolauit, diu vt sanguinem pro Christi nomine fundere tentauit: nunquam tamen suum desiderium adimplere potuit: Vnde legitur in eius officio: feruet ad Martyrium, dum Rex terræ sęuit sed hoc desiderium suũ non impleuit, de quo Rex Regnantium aliud decreuit.

12 Si Religiosi sunt inuitati ad obitum alicuius Defuncti (seruatis seruandis) debent cogitare, aut meditari vitam fugacem, ac transitoriam: & quod statutum est hominibus semel mori, & quod non habemus hic Ciuitatem permanentem; sed futuram inquirere

de-

debemus : & mille anni ſicut dies vnus : Vigilate quia neſcitis diem, neque horam ; & Spiritus Sanctus: *Meditare nouiſſima tua , & in æternum non peccabis* . Et tandem Propheta David: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius* ; & è contra: *Mors peccatorum peſſima* ; & qui neſciunt mentaliter orare, vocales orationes recitare curent.

13 Sic obſeruandum eſt in alijs proceſſionibus, quæ inſtituuntur iuxta temporum varietatem, aut neceſſitatem, orare nempe iuxta intentionem illorum, qui Proceſſionē intimarunt, ſi pro poſtulanda pluuia; pluuiam poſtulare, ſi pro ſerenitate, ſerenitatem; Si in tempore peſtis, famis, & belli, ſupræmam Maieſtatem rogare, vt nos liberet à peſte fame, & bello.

14 Poſtquam reuerſi ſunt in templum, in quo Proceſſio fuit incepta, & eſt dimittenda, ſi candelas mutuo acceperunt ſtatim illas reſtituere, & nullam auiditatem illas retinendi demonſtrare : at ſi deputati, aut patroni volunt illas relinquere ipſis cum gratiarum actione illas retinere, & factis debitis reuerētijs, ſiuè genuflexionibus domum verſus redire . Et ſi aliqui debent ob conuentus neceſſitatem ante alios ire, debent tempus præuenire, vel per aliam viam redire, ne videantur ante alios præcurrere &c.

Si

15 Si Clerus Sæcularis accedit ad templũ Religioſorum, vt ſæpe fit in Rogationibus, in translatione Reliquiarum Sanctarum quando ſunt apud illos repoſitæ, aut in diuerſis alijs occaſionibus; tunc debent templum ornare, Campanas, ſiue campanam pulſare, candelas accendere, Miſſale, incenſum, ac Thuribulum præparare, & in omnibus, & per omnia prudenter, ac ſapienter ſe gerere iuxta tempus, perſonas, vel occaſiones, & ita etiam agere, quando ipſimet Religioſi volunt, vel debent Proceſſionem facere &c.

Hæc pauca de Proceſſionibus in gratiam Religioſorum illorum, qui meliorem non habent modum; ſeruatis tamen ſemper ijs ordinationibus, quæ ſunt in Miſſali, aut Rituali, quibus nõ intelligo quicquam demere, aut addere, ſed ſolum ad illas obſeruandas adiuuare &c.

CAP. XIII.

DE GENVFLECTIONIBVS.

QVia multoties obſeruaui, Sacerdotes non conuenire quoad intelligentiam Rubricæ XII. circa nempè ad faciendas genuflexiones, quando eſt expoſitum Sanctiſ-

ſimum Euchariſtiȩ Sacramentum ſuper aliquod Altare,& in eodem celebrant; Plures enim Sacerdotes, plures genuflexiones faciũt quam facere debent:quia non ſolum faciunt genuflexiones, quando pertranſeunt ante illud in medio Altaris: ſed etiam quando vertunt ſe ad populum, quod non ita faciendum eſt. Rubrica enim ſic ait [Quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud tranſit in medio Altaris] Hæc eſt Rubrica Miſſalis: quod etiã ſeruatur quando Sacramentum eſt clauſum in ciborio, ſed aperto tabernaculo, vel ſeruatur ſub aliquo velo in Calice, vel ſuper corporale donec Miſſa perficiatur &c. Sic ergò faciendæ ſunt huiuſmodi genuflexiones (relictis illis, quæ fiunt ab omnibus Sacerdotibus, quando celebrant in Altari, in quo adeſt Sanctiſſimum Sacramentum, ſed incluſum in Tabernaculo) 1. fit poſtquam Sacerdos præparato Calice tranſit ad præparandum Miſſale; 2. quando reuertitur, & vult deſcendere ad infimum gradum Altaris. 3. quando dixit [Aufer à nobis &c.& oſculato Altari] 4. antequam dicat]Kyrie eleiſon] quibus dictis ſimul cum[Gloria, ſi eſt dicenda] non facit genuflexionẽ. 5. fit poſt [Dominus Vobiſcum] 6. dicta epiſtola cum cæteris ibi dicendis antequam dicat [Munda cor meum] 7. dicto


(Iube

[Iube Domine &c.8.dicto Euangelio,antequã dicat (credo,si est dicendum) quo dicto non facit genuflexionem 9.quando vadit ad accipiendum vinum,& aquam 10.quando reuertitur 11. quando vult facere manuum ablutionem 12.quando redijt, Ad (Orate fratres) non fit genuflexio 13. quando Sacerdos vult facere secundam purificationem in cornu Epistolæ 14. quando reuertitur 15. quando tecto Calice iterum redit ad Missale.16.quãdo reuertitur 17. quando vult dicere (post commun.) 18.dicto(Post Commun.) post (Dominus vobiscum)& ante benedictionem (si danda est) non fit genuflexio 19. statim data benedictione, antequam vadit ad cornu Euangelij 20.quando ad Calicem reuertitur) dicto (Verbum Caro &c.si est dicendum) Viginti ergò genuflexiones sunt faciendæ quando(vt diximus) est expositum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & qui vltra hunc numerum faciunt,gratis faciunt,& melius est obedire,quam sacrificare &c.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

ORDO INCENSATIONIS ALTARIS.



INDEX

RERVM NOTABILIVM.

A

De-

E

F

Fons

L

M

Missio-

O

P

Pa-

Q

R

S

Sy-

Vin-